DE
ROMANORUM IMPRIMIS SUETONII ARTE BIOGRAPHICA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

GUILELMUS SCHMIDT

NASSOVUS.

MARPURGI CATTORUM

TYPIS M. DUMONT-SCHAUBERG

COLONIAE, ANNO MDCCCLXXXXI.

THEODORO BIRT

SACRUM.

Nullum fere litterarum genus est, in quo excolendo Romani reipublicae temporibus magis sui similes exstiterint quam historia. In qua etiam ad vitarum virorum illustrium memoriam conscribendam[1]) frequentissima studia collata esse manifesto demonstrant testimonia per omnem historiae Romanae perpetuitatem conspicua[2]). Sin autem biographiam Romanorum cum eiusdem generis operibus Graecis comparaverimus, statim illos prae his id curasse apparebit, ut virorum potissimum de republica bene meritorum facta dictaque memoriae traderent, neque operam dedisse nisi demum inde a primo a. Chr. n. saeculo, ut etiam clarorum in litterarum disciplinis hominum vitas describerent. Qua de causa ex aliis quasi radicibus orta esse Romanorum atque Graecorum biographia dicenda est. Atque de hac origine primum paucis erit exponendum.

Inter causas, quibus effectum esse opinamur, ut huic litteraturae generi scriptores Romani tantam operam navarent, hae fere potissimae gravissimaeque esse videntur.[3]) Romani scilicet in vita universa nihil non ad certas publicorum consiliorum rationes revocare cupiebant; itaque in scribenda quoque historia prae ceteris ad legentium mores spectabant sive quid ipsa lectione in animis eorum efficeretur. Quapropter praeter res gestas semper studebant ut quam maxima ipsa persona agentis eluceret, anquirebantque morum exempla; etenim historia Romanis instrumentum erat, quo ad iuventutem

---

1) De arte biographica populorum antiquorum disputavit *Walch* in commentatione, quam Agricolae Taciteo praemisit (edit. Berolini 1828) titulo inscripto: 'über die Kunstform der antiken Biographie'. Ubi etiam verba facit de diversitate antiquae novaeque vitae, cum veteres populos alias in bona biographia qualitates requisivisse certum sit atque nos. In ipsa autem genera vitarum-panegyricam vel famosam dico vitamque quae sine ira ac studio composita est —, auctor ille diligentius non inquisivit. Nemo erit qui dubitet, quin hoc tantum genus verae vitae speciem prae se ferat.

2) *L. Wiese,* comment. de vitarum scriptoribus Romanis. Berol. 1840 p. 3.

3) Cfr. *Wiese*, l. l. p. 4—8.

in rebus publicis instituendam uterentur. Quo factum est, ut non tam maioribus natu quam pueris vel adulescentibus laudes nobilium virorum destinarent. Adde quod prae ceteris nationibus antiquis Romani omnino laudis atque gloriae amore incensi fuerunt. Quo accedit causa ex pietatis sensu repetenda, qua ut maiorum memoriam sanctissime conservarent impulsi sunt. Omitto iam plures exponere causas; neque dubito, quin qui in Graecorum litteris versetur, magnam illam inter hos et Romanos discrepantiam morum intellegat atque persentiat.

Quodsi interrogamus, quid ex hac indole quam adumbravi ortum sit, facile apparebit plurimum eam attulisse non solum ad rerum gestarum annales publicos scribendos, sed etiam ad singularum gentium Romanorum commentarios conficiendos, ne oblivio eorum esset, quae quisque sapienter ac fortiter egisset. Nec praetermittam tradidisse Catonem iam antiquissimis temporibus maiorum laudes celebratas esse carminibus.

Quare iam antiquitus oriebantur commentarii domestici, laudationes funebres, elogia, stemmata, postea autem et vitae et autobiographiae, quarum quidem maxima apud Romanos copia exstitit[1]). Ex his, quas enumeravi, radicibus etiam biographiam Romanorum natam esse patet.

Sequitur ut singulas, quibus hoc genus historiae excultum est, aetates paucis verbis describamus. Sicut enim omnino litterarum Romanarum rationes a reipublicae forma et vicibus seiungi non queunt, ita vitarum conscriptionem ea libertas moderata est, quae alia aliis temporibus civibus Romanis concedebatur.

Prima historiae Romanae parte, quam Gracchorum aevo terminamus, eorum saeculorum decursum complectimur, quibus respublica in summum potestatis fastigium escendit. Qua aetate iam iacta sunt biographiae posterioris tamquam fundamenta: inscriptiones monumentorum ornamentorum sepulcrorum statuarum donorum votivorum, stemmata, indices, elogia imaginibus insculpta, commentarii domestici, quin etiam prima autobiographiae initia[2]). In hisce iam biographiae initiis Romanos Graecorum usum secutos esse et ex ipsis verbis 'elogia' 'stemmata' et ex sepulcrorum inscriptionibus et tota re epigraphica elucet.

---

1) *Suringar*, de autobiographis Romanorum. Leiden 1846.

2) *Taciti* Agricola c. I; *Cic.* Brut. 23; de or. I. 53; *Suringar*, l. l. p. 1 sqq.

THEODORO BIRT

SACRUM.

öffentlichen Leben. Dass Sueton sie auf letzteres in gleicher Weise anwandte, hat die Grabschrift des Augustus bewirkt." Comparata deinde utriusque scripti dispositione has fere similitudines Nissenio comparuerunt:

a.

Augustus Suetonii.	Monum. Ancyranum.
1° c. 9—19.	1°.
2° c. 20—25.	1°, 7°, 8°, 3°.
3° c. 26—28.	2°.
4° c. 28—45.	5°.
c. 41, 42.	4°.
c. 43—45.	6°.
5° c. 46—50.	c. 28 (7°).
6° c. 51—56.	c. 24 (6°).
7° c. 57—60.	c. 34 (9°).

Loci autem quos Nissen ad verbum fere inter se congruere contendit his capitibus sunt comprehensi:

b.

c. 21.	c. 26.
c. 29.	c. 19, 21.
c. 32.	c. 8.
c. 41.	c. 15, 18.
c. 43.	c. 23.
c. 52.	c. 24.
c. 57.	c. 34.

Citatur denique Monumentum (c. 22) in Suetonii Augusto c. 43.

Iam cum accedamus ad nostram de hac quaestione sententiam explicandam, liceat primum illos e Nisseni commentatione excerpere locos, quibus auctor ipse suspicionem suam non satis certam esse concedere mihi quidem visus est. Ipse enim in pag. 497 profiteri non dubitat:

„Ohne Zweifel hat die Leere des öffentlichen Lebens denselben (den Plan nämlich zu schematischer Behandlung) befördert"; et porro: „ohne Zweifel war ein Gelehrter von der antiquarischen Richtung Suetons besonders dazu geneigt" e. q. s. Alio loco: „Das Leben Cäsars ist mit geringen Abweichungen chronologisch gehalten." Postremo: „Sueton entnimmt ihr (Monumento Ancyrano scil.) vor allem den Plan, der zwar hier und da verändert, aber im grossen und ganzen festgehalten erscheint." Neque minus in Monumento disponendo

(p. 489—92) saepius partium singularum non satis unam ab alia esse distinctam concedit (ex. gr. 1° et 2°). In ultima autem dissertatione plane dicit: „die schematische Behandlung war für das häusliche Leben angemessen, Sueton übertrug sie auf das öffentliche“, itaque „interiorem“ ut ita dicam vitam hominum eodem modo iam ante Suetonium descriptam fuisse concessisse mihi quidem videtur. An in eo Caesaris vitam respexit? Vellem id planius et plenius indicasset vir illustrissimus. Quodsi cui argumenta Nisseni priora imposuerunt, etiam has sententias eius, quibus debilitantur, summi momenti esse concedat necesse erit. Ceterum nos infra (p. 31 sq.) exponemus Suetonium et proprio vivendi modo versandique in studiis et etatis suae moribus ad eiusmodi rationem adduci potuisse.

Sed ecce omnes vir egregrius profligat dubitationes. Tribus locis idem fere repetit: „Sueton muss eine Abschrift des Monumentum Ancyranum benutzt haben“ (p. 494, 497, 498).

Iam paulisper ad ipsam argumentationem auctoris animum advertamus ac primum quidem de utriusque scripti dispositione, deinde de dispositionum comparatione pauca addamus. Mihi enim eiusmodi schema, quale Nissen de Monumento Ancyrano protulit cum accuratione et veritate factum esse nullo modo videtur. Quod iam ex prima parte satis elucebit, qua de rebus diversissimis agi, qui semel eam legerit, intelleget, quae res simul ad partes 2°, 3°, 4°, 7°, 8°, eodem modo spectant. Nam non solum de bellis, sed etiam de magistratibus (2°) honoribus extraordinariis (3°) impensis (4°) custodia imperii Romani (7°) praesidio totius terrarum orbis (1°) etc. illo loco agitur. Eiusmodi veri ordinis defectum etiam in ceteris capitibus Monumenti a Nissenio distinctis invenimus: cfr. exempli gratia partis 3° „ausserordentliche Ehren“ caput 13, ubi de Iano ter clauso loquitur Augustus, vel partis 6° „Spiele“ caput 24, quo de templorum ornamentis in Asiam delatis aliis rebus verba facit auctor; alias. Quanta e contrario sit perspicuitas in Augusti vita Suetoniana infra apparebit (cfr. p. 23 sq.). Omnia enim ad certissimas rationes seiuncta et in singulas 'species' distributa sunt.

Ad operum duorum comparationem ubi transimus, libenter quidem concedimus Suetonium Augusti scripta novisse [1]) neque dubitandum esse, quin nonnullis (numeravi octo) locis verborum similitudo quaedam occurrat [2]). Fieri tamen poterat, ut

1) Cfr. *Aug.* c. 43. 85.
2) ***Mommsen*** in editione Mon. Anc. quamquam (p. IX.) cum Nissenio

Suetonius his locis aut Monumenti lecti reminisceretur sive ipsum excerperet, aut fortuito huiusmodi sermonis congruentiam, qualem fere in plurimis unius generis operibus inveniri constat, proferret. Certe nihil ad Nisseni sententiam comprobandam valere videntur, praesertim cum ex diversissimis partibus collati sint. Singulas igitur res memorabiles Suetonium ex Augusti fontibus hausisse si concessero, rei satisfecisse videbor.

At consilium per 'species' disponendi Suetonius nullo modo Monumento Ancyrano debet. Immo aut ipse sibi illud confinxit et ipse huius moris inventor appellandus est aut ex aliorum studiis pendet sive Graecorum sive Romanorum [1]. Alia vero quaestio et diversa est, utrum ob id factum bene de Romanorum litteris sit meritus necne.

Ac primum quidem non intellego, cur Suetonius praeceptore vel auctore in scribendis vitis excolendaque ratione sua eguerit, quod Nissen p. 497 contendit. Deinde Caesaris vitam non solum nonnullis locis ab integra temporum ratione discrepare puto (cfr. Nissen p. 497), sed iam in hac operis parte Tranquillum ipsum illud conclamatum consilium „per species“ scribendi secutum esse confido, id quod infra (p. 38 sq.) comprobare lectoribus conabor. Amissa praefatione Caesaris certo modo diiudicari non potest, quid antecesserit parti quae aetatem tulit; praeterea has species ex dispositione Caesaris (cfr. p. 22 sq.) aperte eruimus:

1⁰ *vita ante principatus initium*,
2⁰ *magistratus, honores,*
3⁰ *res domi bellique gestae,*
4⁰ *corpus habitus etc. mores,*
5⁰ *studia civilia,*
6⁰ *studia bellica,*
7⁰ *virtutes,*
8⁰ *vitia,*
9⁰ *coniuratio — mors.*

Neque in paucis rebus Caesarem cum Augusto plane consentire, praesertim cum ultimam de vita interiore partem respiciamus, infra demonstrabitur (p. 38 sq.). Quapropter iam Divum Iulium per species dispositum esse persuasum habemus. Quae cum ita sint, certe Tranquillus Caesare sic confecto ad rationem suam excolendam iam non eguit Monumento Ancyrano.

---

consentit his in rebus, tamen non dicit aut suspicatur Suetonium dispositionem Monumenti secutum esse. Errasse potius scriptorem in adhibendo illo indice nonnumquam probavit.

1) Cfr. infra p. 13 sqq.

Denique quam exiguae sint similitudines utriusque scripti ex dispositionum tabula (a) in pag. 10, prolata perspici potest. Nissen ipse (p. 497, 498) hac in re nobiscum consentit; nam in 5°, 6°, 7° vitae Suetonianae parte vel nulla vel parcissima nobis occurrit congruentia cum Monumento, aliis locis ex diversis eius partibus (cfr. imprimis Augusti 2°, 4°) satis artificiose fingitur atque construitur.

Iam, ne latius a via nostra digressi simus, timemus. Nec profecto in Caesaris vita subsistendum est.

Immo vero inveniuntur adeo species illae etiam ante Suetonium Tranquillum adhibitae cum in ceteris litterarum generibus [1]) tum in biographiae monumentis et Romanorum et Graecorum. Non absonum huic loco erit neque parvi ad sententiam nostram de Suetonio prolatam referet comprobandam et fulciendam, si scripta biographica Romanorum ante Tranquillum composita perquirimus. Valde autem dolendum est, quod Cornelii Nepotis reliquiis exiguis exceptis nihil fere totius huius litterarum generis aetatem tulit, ita ut ex paucissimis illis tamque disiectis membris imaginem certam operum nobis confingere vix liceat. Nihil autem hac in quaestione refert, utrum Nepotis sit liber 'de ducibus exterarum gentium' etc. inscriptus an alius cuiusdam illius aetatis scriptoris. Equidem plerosque secutus viros doctos [2]), Nepotem esse auctorem opinor neque Ungerum [3]) quidem comprobasse arbitror Hyginum librum illum composuisse.

Quomodo Santra atque Varro opera sua biographica, de quibus Hieronymus [4]) loquitur, disposuerint, propter fragmentorum exiguitatem incertum est. De altero Ritschl in opuscul. t. III. p. 436 sqq., 452 sqq., 508 sqq. quamquam perbene disputavit, nihil tamen ex doctissimis eius commentationibus de dispositionibus afferri potest, nisi quae in pag. 454. 'de poetis' protulit verba: „Wie gelehrt und ausführlich die Darstellung sein mochte, lässt sich an der Suetonischen Vita Terentii abnehmen, wenn diese (parerga p. 622) ihr Bestes

1) Exempli gratia lectores de Annalium usu admonemus, ubi illustrium virorum mors, prodigia etc. in fine semper totius anni ponuntur (ad Liv. II. 33, 11 Weissenborn, multis aliis locis cfr. *Nissen,* Quellen der IV. u. V. Decade des Livius p. 88).

2) Imprimis *Nipperdey,* edid. Nep. p. XXXV. sqq. 1849. — Cfr. *C. L. Roth,* edid. Nepot. Basil. 1841 cum prolegom. Rinckii p. I—CLXII. *B. Lupus:* JJ. 125, 379. *A. Mayr:* Stimmt der Cato und Att. des Nep. in Spr. u. Stil mit den vitae ducum überein? Cilli 1883.

3) Abhdlung. d. bair. Akad. XVI. 1. p. 127 sqq.

4) Proleg. ad Dextr. in libr. d. vir. ill. III. p. 821 Vall. — epist. 47 ad Desider.; ep. 112 ad Augustin.; praef. in chron. VIII.

aus Varro hat". Qua sententia probata suspicari licet Varronem fortasse fuisse, quem Suetonius in viris illustribus, de quibus in cap. II. huius commentationis agendum erit, condendis et digerendis imitatus est.

Statim igitur ad Cornelii Nepotis artem illustrandam accedamus, de qua in universum egit Nipperdey l. l. p. XVII—XXI., p. XXIX—XXXVI. Et Nepos ipse quidem compluribus locis artis huius rationem reddidit[1]).

Nipperdey autem l. l. p. XXXIII. de rerum ordine hoc protulit: „Was die Ordnung in den einzelnen Lebensbeschreibungen betrifft, so schreiten die meisten nach der Folge der Ereignisse fort, und es wird vorne oder am Schluss oder bei einer durch die Ereignisse gebotenen Veranlassung eine Charakteristik gegeben oder eine charakteristische Anekdote erzählt. Diese Anordnung ist leicht und natürlich und an und für sich nicht zu tadeln, nur ist sie öfter durch chronologische Verstösse oder Nachlässigkeiten verunstaltet . . . . Einer systematischen Anordnung aber hat sich Nepos im Epaminondas durchaus nicht gewachsen gezeigt . . . . Die Anordnung des Atticus ist gemischt, indem bis zu des Atticus Rückkehr aus Athen chronologisch verfahren wird, obwohl im einzelnen nicht genau (c. II, 2; IV, 4; III, 1). Von c. V, 1. an ordnet sich die Darstellung nach den Eigenschaften des Atticus. Der später angefügte Schluss schildert ausser den letzten Lebensereignissen das Verhältnis zu Oktavian und Antonius, nach den Bürgerkriegen. Auch hier fehlt es also an sicherer Durchführung eines festen Planes". Iam vero quae Nipperdey in universum sic disputavit, ea etiam accuratius persequi licebit, neque ita paucis locis iudicium eius aut determinandum aut commutandum esse demonstrabitur.

Ac primum quidem constat singulis partibus operis Nepotiani praefationes praemissas fuisse[2]), quibus vario modo aut de moribus exterarum gentium praecipue Graecorum (cfr. praefat. ad excell. duces) aut de historia virorum tractandorum in commune exponitur (cfr. praefat. ad reges)[3]). Deinde vitae singulae inter se etiam iunctura quadam conectuntur; cfr. ex. gr. *Themistoclem* et *Aristidem* (Arist. I. 1—3), *Hannibalem* et *Hamilcarem*. In ipsis autem vitis sunt quibus vario modo titulus quasi praefixus est: viri enim tractandi

1) Cfr. *Them.* I, 2. *Epam.* I. Pel. I. *Attic.* VI, 1. XIII, 1. XIX, 1.
2) Apud Suetonium idem reperiri infra (p. 42 sq.) comprobabitur.
3) Cfr. infra p. 42 sq.

patris[1]) nationis nomina aut a rebus subsequentibus seclusa in *Them.*, *Alc.*, *Thras.*, *Chabr.*, *Timoth.*, *Ep.*, *Eum.*, *Timol.*, *Hann.* aut cum illis coniuncta in *Milt.*, *Ar.*, *Paus.*, *Cim.*, *Lys.*, *Con.*, *Dion.*, *Iphicr.*, *Pel.*, *Ag.*, *Phoc.*, *Ham.* praemittuntur. Peculiari autem ratione *Datames Cato Atticus* conditi sunt, cum in eorum exordio de ortu parentibus aliis rebus uberius agatur[2]).

Errasse vero aliqua ex parte mihi videtur Nipperdey, cum ad *Them.* cap. I. § 1. adicit: „In derselben Weise, dass gleichsam eine Ueberschrift vorausgeht, und das folgende an diese angeknüpft wird, hat Nep. das Leben des *Alc.*, *Thras.*, *Dion.*, *Chabr.*, *Timoth.*, *Ep.*, *Pol.*, *Eum.* und *Timol.* begonnen; im *Hann.* ist das folgende von der Ueberschrift unabhängig. Diese abgerissene Manier ist dem guten Stil, wie überhaupt, so besonders bei den Griechen und Römern zuwider.“ Nam et in ceteris vitis Nepos fere eadem ratione atque in prolatis rem incepit neque in *Dione* sententia initialis tam nexu caret quam alibi.

Quamquam in serenda narratione Cornelius Nepos plerumque temporum rationem secutus est, tamen haud ita paucis locis praeter neglegentiam a Nipperdeio vituperatam et praeter *Epaminondam Atticum*que plane alio consilio dispositos a ratione chronologica scriptor etiam alibi digressus est. Verba enim illa quae quasi titulum vitae esse diximus plurimis in vitis sententia sequitur, qua auctor consilium narrationis summatim nobiscum communicat; quam rem ut illustrem et comprobem, nonnullos locos transscribam:

Them. I. 1. *Huius vitia ineuntis adulescentiae magnis sunt emendata virtutibus, adeo ut anteferatur huic nemo, pauci pares pertentur. Sed ab initio est ordiendus.*

Paus. I. 1. *Nam ut virtutibus eluxit sic vitiis est obrutus.*

Lys. I. 1. .... *magnam reliquit sui famam, magis felicitate quam virtute partam.*

Alc. I. 1. — *In hoc quid natura efficere possit videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius, vel in vitiis vel in virtutibus.* Item in *Ar.*, *Thras.*, *Con.*, *Iph.* etc.

Exinde autem Nepos plerumque statim in mediam rem ingressus neque de natu neque de educatione pueritia aliisque

---

1) Patris nomen non additum est in: *Paus.*, *Lys.*, *Con.*, *Iphicr.*, *Pel.*, *Ages.*, *Phoc.*, *Chabria*, *Eum.*, *Timol.*

2) Idem apud Suetonium primo loco exponitur (cfr. p. 33 sq.).

rebus huc spectantibus verba faciebet[1]): cfr. *Miltiad., Arist., Paus., Lys., Thras., Con.* etc.

Consectarium est ut dispositiones ipsas perscrutemur atque praecipue ubicumque Suetonii quid simile occurrat id exhibeamus. Omnium autem vitarum dispositiones afferre opus non erit; exempla sufficient. Scilicet omnes Nepotis vitas in agmina quasi tria dividere licet, quarum primo eae continentur vitae, quae chronologice, altero quae et per tempora et per species, tertio quae per species tantum compositae sunt.

Hasce tres portiones comparantibus nobis statim apparebit numerum earum vitarum, quibus in componendis Nepos ordinem temporum diligentius observavit, minorem esse[2]). Quarum optime mihi quidem dispositus esse videtur:

Datames:

1. c. *I. de ortu, patre; de primis stipendiis,*
2. c. *II—IV. res ab eo in Artaxerxis Mnemonis officio gestae:*
   c. *II. III. in bello contra Theyn,*
   c. *IV. contra Aspim,*
3. c. *V—XI. res ab eo contra Artaxerxen gestae:*
   c. *V. in Paphlagonia,*
   c. *VI. adversus Pisidas,*
   c. *VII. VIII. adversus Autophrodatem,*
   c. *IX. inter regis insidias,*
   c. *X. XI. in Mithridaten: mors.*

Genus quod diximus mixtum perspicue ostendunt *Themistocles, Alcibiades, Agesilaus*[3]).

Themistocles:

A. vita privata:
   c. *I. de ortu, parentibus, vita privata turpi, moribus, studiis.*

B. vita publica:
   c. *II—VI. res in bello,*
   c. *VI—VII. in pace,*
   c. *VIII—X. in exilio gestae,*
   c. *X. 3. de monumentis eius servatis,*
   c. *X. 4. 5. de morte ac funere.*

Alcibiades:

A. vita privata:
   c. *I. de ortu*; *de diversa natura eius,*
   c. *II. de educatione et eruditione; quomodo Socrate usus sit.*

B. vita publica: c. III.—XI.
   c. *III—VI. bellum Siculum,*
   c. *VII—VIII. denuo exercitui praepositus,*
   c. *IX. fuga in Asiam—mors,*
   c. *XI. excursus; de auctoribus vitae eius.*

Agesilaus:

A. vita publica:
   c. *I. contentio cum Leotychide,*

1) Exceptis vitis *Them., Cim., Alc., Dat., Ep., Eum., Cat., Attic.*
2) *Paus., Con., Thras., Chabr., Datam., Eum., Ham., Hann.*
3) Cfr. *Milt., Arist., Cim., Lys., Thras., Dion., Iph., Timoth., Phoc., Timol., Cato.*

c. *II. III. res in Asia,*	B. vita privata:
c. *IV. V. in bello quod vocatur Corinthio,*	c. *VII. virtutes: liberalitas, abstinentia, patientia,*
c. *VI. contra Thebanos gestae.*	c. *VIII. corporis statura etc. mors.*

Primo obtutu dissimilitudines, quae inter huius et prioris agminis vitas intercedunt, perspiciuntur. Paullulum tamen in singulis rebus exquirendis moremur. Opus autem non erit lectores in unaquaque re de Suetonii Caesarum similitudinibus admonere (cfr. infra p. 22 sq.).

Primum igitur hoc urgueri potest etiam in Nepotis opere partitionis illius Suetonianae, quae fit in vitam publicam et privatam, inveniri vestigia; praeter dispositiones supra exhibitas *Them., Alc., Ages.* etiam in *Iphicrate* et *Timoleonte* eadem partitio observatur.

Neque quisquam erit, quin iisdem de rebus atque apud Suetonium in partibus illis agi agnoscat, modo satis rationem habeat materiae.

Partium, quae species vocantur, usus in his fere vitis quae classem secundam efficiunt: *Milt., Them., Arist., Cim., Lys., Alc., Iph., Timoth., Ages., Phoc., Timol.* occurrit, licet concedendum sit eas minus perspicue minusque distincte quam in Caesaribus Suetonianis conformatas atque excultas esse. De quibus nunc quidem paucis disputandum erit. Plerumque igitur per excursum chronologicus ordo deseritur; cfr. *Milt.* c. VI., ubi de modo in magnis viris colendis adhibito, ib. c. VIII. ubi de virtutibus Miltiadis agitur. Item in *Them.* c. I. de moribus, c. X. 3 de monumentis viri, in *Arist.* c. III. 2. 3. de abstinentia, in *Cim.* c. IV. de liberalitate, in *Lys.* c. II. de crudelitate et perfidia, in *Alc.* c. II. de hominum usu, eiusd. c. XI. de vitae auctoribus, in *Iph.* c. III. de animo magno et corpore imperatoriaque forma, in *Timoth.* c. IV. de moderato modo vivendi, in *Ages.* c. VII. de virtutibus, c. VIII. de corpore, in *Phoc.* c. I. de virtutibus, in *Timol.* c. V. de mirabilibus viri casibus, in *Catonis* c. II., III. de summa vitae, c. III. de industria disputatur.

Sed plura et manifestiora afferamus necesse erit; aliter causam quam agimus perdemus atque Suetonium Nepotis ope illustrari posse negabitur. At aetatem duae eiusdem vitae tulerunt, quas maiore cum evidentia in comparationem vocemus: *Epaminondam* dico et *Atticum.* Ad quas vitas disputandas abhinc accedamus.

Epaminondas:

c. *I. praefatio: de moribus diversis Graecorum et Romanorum.*

A. vita privata: c. II—IX.

1° c. *II. 1. de genere,*

2° c. *II. 2. sqq. de studiis liberalibus et corporis exercitationibus,*

3° c. *III—IX. de moribus ingeniique facultatibus et si qua alia memoria digna sunt,*

a) c. *III. IV. de animi bonis sive de virtutibus (c. III. 1. 2. summatio)*[1]*,*

α) c. *III. 3. de audiendi cupiditate,*

β) c. *III. 4. 5. 6. paupertatis patientia, liberalitate erga cives,*

γ) c. *IV. abstinentia tentata,*

b) c. *V. VI. de eloquentia eius,*

c) c. *VII—VIII. de patientia eius in subeundis civium iniuriis etc.*

B. vita publica: c. IX. X.

4° c. *IX. de rebus ab eo gestis,*

5° c. *X. excursus de nonnullis rebus memoratu dignis.*

Hoc schema cum inspiciamus statim ni fallor Suetonii reminiscemur. Etiam in consilio suo explicando (c. I. 3, 4)[2]) scriptor nos admonet de Augusti capite IX. Et tota vita sane 'per species' tractata est, neque iudicio severo, quod Nipperdey l. l. p. XXXIV. de ea fecit, plane possumus assentiri. Dixit enim vir ille doctus: „Einer systematischen Anordnung aber hat er sich im Epaminondas durchaus nicht gewachsen gezeigt. Nicht nur, dass er den Punkt, welchen er zuletzt zu behandeln verspricht, in der Ausführung übergangen hat, obwohl er für ihn der Hauptpunkt sein musste, wirft auch die Bestimmung des zweiten Punktes durch die Allgemeinheit der Worte 'et si qua alia memoria digna erunt' (I. 4) die ganze Einteilung wieder über den Haufen, und nachdem durch die Erzählung des Todes die Biographie ab-

1) c. III. 1. 2. 'Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus prudens gravis temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens .... Idem continens clemens patiensque imprimis commissa celans .... studiosus audiendi ....'

2) c. I. 3. 4. 'Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae velimus Epaminondae, nihil videmur debere praetermittere quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primum de genere eius, deinde quibus disciplinis et a quibus sit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus et si qua alia memoria digna sunt; postremo de rebus gestis, quae a plurimis omnium auteponuntur virtutibus.'

geschlossen ist, kommen dennoch zwei Dinge nachgehinkt, welche zum dritten Abschnitt gehören." Hoc acerbius iudicatum dico. Nam primum ultima pars quam promiserat scriptor praetermissa non est. Agitur enim c. IX. de pugna apud Mantineam commissa, cum Leuctricae victoriae et in cap. VIII. et in cap. X. mentio fiat. Deinde verba *et si qua alia memoria digna erunt* non ad secundam sed ad tertiam spectare partem opinor. Quid sibi velint, ex tertiae partis tractatione elucet, qua virtutes aut ingenii facultates singulae exemplis singulis illustrantur: cfr. III. 3. 5.; IV.[1]) 1. 2. 3. 4. 5. 6.; V. 3 sq.; VI. etc. Quod attinet ad tertiam vituperationem, Nepotem per excursum duas illas res protulisse suspicer ad illustrandam sententiam: *huius de virtutibus etc.* Denique quod vitae privatae pars publicam vitam magnitudine superat[2]), id bene quadrat ad usum Suetonianum (infra p. 36 sq.).

Praeterea hac in vita Nepos ipse consilium suum ubertim communicavit. Nihil autem refert dispositionem nonnullis locis esse laesam; idem enim apud Suetonium inveniemus, optimum huius scribendi generis auctorem (cfr. p. 37).

Iam superest, ut de ultimo virorum illustrium paucis referamus, de Attico, cuius dispositio haec est:

I. *c. I–VI.* **vitae quasi summa**[3]).
- 1° *c. I. ortus — educatio,*
- 2° *c. II—IV. adulescentia (Athenis),*
- 3° *c. V. Romam rediit — avunculi mors.*

II. *c. VI—XIX.* **vita post avunculum mortuum:**

A. *c. VI–XIII.* vita publica[4]):
- 1° *c. VI. in universum,*
- 2° *c. VII. in bello civili,*
- 3° *c. VIII. post mortem Caesaris,*
- 4° *c. IX. in bello Mutinensi,*
- 5° *c. X. in proscriptionibus latis,*
- 6° *c. XI. XII. de liberalitate eius.*

B. *c. XIII—XIX.* vita privata[5]):
- 1° *c. XIII. sq. de familia et cultu cotidiano,*
- 2° *c. XV—XVIII. de moribus eius,*
  - a) *c. XV. honestas liberalitas,*
  - b) *c. XVI. humanitas,*
  - c) *c. XVII. pietas, doctrina.*
- 3° *c. XVIII. studia liberalia.*

---

1) Cfr. IV. 6. 'Abstinentiae erit hoc satis testimonium. Plurima quidem....'

2) Idem in Phocione evenit.

3) Cfr. *Sueton.* Aug. c. IX. (c. V—IX.).

4) c. VI. 1. 'In republica ita est versatus' etc.

5) c. XIII. 1. 'Neque vero ille vir minus bonus paterfamilias habitus est quam civis....'

C. *c. XIX*–extr. appendix[1]: 1° *c. XIX. sq. de usu Octaviani et Antonini,* (4°) 2° *c. XXI. sq. de morbo morte funere.*

Recte de hac vita Nipperdey l. l. p. XXXIV. Tamen, qua lege in usum nostrum summi momenti sit, uberius exponendum erit. Mea enim opinione *Atticus* artem Suetonianam plane excultam prae se fert, modo subtrahamus subtrahenda rationemque habeamus et rerum dissimilitudinis et eorum quae in Attici compositione peculiaria sunt. Nam ultima huius vitae pars (C.) appendix est postea adscripta. Sed iam si quaeras, quae tandem sint similitudines, primo obtutu eas cognosci aio neque minus in ordine totius operis quam in singulis partibus possunt inveniri.

Primum agitur de vitae ante avunculi mortem summa ex ordine temporum; item Suetonius e. g. in Augusto temporum ordinem in prima parte secutus vitam ante principatum initum enarrat (cfr. p. 35 sq.). Deinde Attici scriptor post avunculi mortem statim per species componere incipit; estque haec vita exinde divisa eodem modo atque Caesares Suetoniani, in res scilicet domi bellique gestas et vitam familiarem. At quispiam dicat res ibi publice gestas chronologicum ordinem exhibere. Ita sane; nihil autem refert; neque enim aliter apud Suetonium eiusmodi res ordinatae sunt (p. 38). Perbene autem etiam certis verbis singulae partes distinguuntur.

Sic perlustratis vitis Nepotianis non dubito equidem, quin hunc iam scriptorem rerum generibus iis, quae Suetonius adhibet, ex proposito usum esse agnoscatur. Fortasse in illis operis partibus, quas fortuna nobis invidit, eadem ars etiam dilucidius appareret. Sed quae ex reliquiis exhibuimus iam sat erunt ad comprobandam sententiam nostram.

De Hygini arte nihil afferre possumus, quae est fragmentorum ex opere eius traditorum exiguitas. Nihilominus commentationis a Bunte[2]) editae admonere non omitto, qui (p. 39) hisce fere verbis de Hygino disputat: 'Apparet tamen ex fragmentis allatis[3]) Hyginum in hoc opere non solum

---

1) XIX. 'Hactenus. Attico vivo edita a nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur et quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra (c. XI.) significavimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.' Quae verba *Tac.* Agr. c. XLII. redolent: 'sicant, quibus moris est illicita mirari, etiam sub malis principibus magnos viros esse posse et obsequium modestiamque si vigor adsit, eo laudis excedere....'

2) De C. Jul. Hygini vita et scriptis. Marburg 1846.

3) l. l. p. 35—39.

protulisse historiam quam dicunt pragmatico-criticam, sed etiam narrationes fabulosas et miraculosas, quae aut in hominum ore circumferebantur aut in scriptis traditae fuerant. Atque similis fuisse videtur hic Hygini liber opusculo 'de viris illustribus' urbis Romae, quod nunc Aureli Victoris nomen praefert, nisi quod in Hygini libro maior certe quam apud hunc apparebat copia doctrinae'. Aurelium autem Victorem vitas suas per species Suetonianas disposuisse a nobis comprobatum esse opinamur (cfr. infra cap. IV).

De Taciti Agricolae dispositione post Walchii commentationem supra commemoratam, qua etiam de compositione accuratius agitur, perpauca tantum afferenda sunt.

Nam ex dissertatione illa perbene elucescit Agricolam in universum ex temporum ratione in ordinem digestum esse. Ut vero lector melius perspiciat, quomodo res in illustrissimo illo opere panegyrico biographiae Romanae ordinatae sint, schema adhibitum paucis adumbrabo; cfr. Walch p. LIX:

1. *praefatio c. I—III.*

2. *eruditio Agricolae usque ad administrationem Britanniae c. IV—VIII.*

3. *descriptio insulae; res ab Agricola antea gestae c. IX—XVII.*

4. *expeditiones in Britannia factae; pugna ad Grampium montem commissa c. XVIII—XXXVIII.*

5. *Romae; mors, c. XXXIX—XLVI.*

Nullo modo hac in vita artem Suetonianam excultam esse iam Walchius concessit p. XLVII: „Dass einem Künstler wie Tacitus bei der Betrachtung des Stoffes das nur zur Ungründlichkeit und Seichtheit führende rhapsodische Schema eines Sueton nicht zusagen konnte (so unverächtlich dieser Schriftsteller für uns ist), bedarf wohl kaum einer Rechtfertigung. Ebensowenig konnte ein rein chronologisches dem nach innerer Notwendigkeit des Erkannten strebenden Geist genügen“ (cfr. hist. I. 4.).

Iam vero ab Hygino et Nepote ad ipsos Graecos oculos retrovertamus; nullus fere scriptor fuit Romanus qui non Graeca exemplaria manu versaret; nullum fere genus litterarum est cui leges non praescripserint Graeci. Idem de arte biographica Suetoniana valere iam per se satis verisimile dicetur. Pauca vero sunt quae demonstrari possint.

Nam in dubio mihi relinquendum est, utrum apud Graecorum vitarum scriptores species illae iam adhibitae sint necne. Perpauca, quae in Plutarchi vitis inveni huc spectantia afferam, quamquam certa illius usus vestigia esse

nullo modo contendo. Quantum equidem invenire poteram maximam cum Suetonio similitudinem vita Periclis praebet, quam nonnullis locis per species dispositam esse negari non poterit.

Dispositio haec est: c. I—XVI vita interior: *c. I. II. praefatio., c. III. de genere etc. de corpore statura etc., c. IV—VI. de animi facultatibus, c. VII. primae res publice gestae, c. VIII. de eloquentia, c. IX—XVI. quomodo ad rempublicam administrandam eruditus sit.* c. XVII—XXXIII. quomodo in rebus exteris se gesserit: *c. XVII. reipublicae gerendae ratio, c. XIII. studia bellica, c. XIX—XX. res in bello ab ipso gestae, c. XXII—XXIII. in bello contra Spartam, c. XXIII—XXVIII. in bello Samio, c. XXIX. sqq. Peloponnesiaco, c. XXXIII. sqq. mors.*

Sic absolutum est, quod nobis proposuimus. Nam ante Suetonium Tranquillum vestigia indubitata eius artis fuisse eruimus. — Restat ut ex ipsius Suetonii operibus sententiam Nisseni refutemus.

Cap. II.

Atque primum officium hoc erit, ut vitarum singularum dispositiones proponamus.

1⁰ Divus Iulius[1]).

I. c. *I—XL.* **vita ante principatum initum,**
- 1⁰ *vita ante magistratus c. I—V,*
- 2⁰ c. *V—XXX. magistratus:*
  - a) c. *V. tribunus militum,*
  - b) c. *VI—VIII. quaestor: VI. Romae, VII. in Hispania ulteriore, VIII. in coloniis latinis, IX. Romae,*
  - c) c. *X—XIII. aedilis: X. ornamenta urbis, ludi, XI. Aegyptum non accipit, XII. c. Rabirium accusat,*
  - d) c. *XIII. pontifex maximus,*
  - e) c. *XIV—XVIII. praetor,*
  - f) c. *XVIII. propraetor in Hispania,*
  - g) c. *XIX—XXIII. consul: XIX. petitio consulatus, XX. leges ab eo latae, XXI. Calpurnia uxor: Iulia Pompeio collocata, XXII. Galliam sortitur,*
  - h. c. *XXIII—XXX. proconsul: XXIII. Romae, XXIV. Lucae, XXV. res gestae, XXVI.*

1) *G. Dederding,* de vita Caesaris I. Jenae 1870.

matrem filiam nepotem amittit, XXVI—XXVIII. omnium gratiam sibi conciliat, XXIX. petitio alterius consulatus.

3⁰ c. *XXX — XL. bellum civile:*

a) c. *XXX. transitus in Galliam citeriorem,*

b) *XXXI—XXXIV. Rubiconis transitus,*

c) *XXXIV—XXXVI. res in Italia Hispania etc. gestae,*

d) *XXXVI. sq. cladium et triumphorum enumeratio,*

e) *XXXVIII. sq. praemia, ludi triumphales.*

II. c. *XL. — extr.* **vita post principatum initum.**

A. c. *XL—XLV.* vita publica.

1⁰ c. *XL—XLIV. urbis administratio:*

XL. fastorum correctio, XLI. senatus magistratuumque supplementum, XLII. novae coloniae, leges latae, XLIII. iurisdictio.

2⁰ c. *XLIV. Consilia de ornanda urbe ampliandoque imperio.*

B. c. *XLV— LXXVI.* vita privata.

1⁰ c. *XLV. de corpore statura valetudine etc.*

2⁰ c. *XLVI—LV. mores sive modus vivendi, XLVI sq. habitatio, XLVII. convivia, disciplina domestica, XLIX—LIII. libidines, LIII. sobrietas, LIV. abstinentia,*

3⁰ c. *LV—LVII. studia civilia,*

4⁰ c. *LVII—LXXI. studia bellica,*

5⁰ c. *LXXI—LXXVI. clientium amicorum aliorum hominum fides indulgentia moderatio clementia*[1]),

6⁰ c. *LXXVI-LXXX. vitia, LXXVI. abusus dominationis, LXXVII. impotentia, LXXVIII. superbia etc.,*

7⁰ c. *LXXX. coniuratio*[2]).

8⁰ c. *LXXXI. prodigia caedis,*

9⁰ c. *LXXXII. sqq. caedes testamenta funus,*

10⁰ c. *LXXXV.-extr. de rebus nonnullis*[3]), *quae mortem consecutae sunt, memoratu dignis exponitur.*

2⁰ Divus Augustus[4]):

I. c. *I—IX.* **vita ante princip. init.**

A. c. *I—V. gens Octavia: I. monumenta Velitris inventa, II—V. maiores Augusti sub regibus, D. Iulio, etc.*

---

1) c. XLVI—LXXVI. virtutes complectuntur.

2) Etiam in Caligula coniuratio in vita privata tractatur (c. LVI).

3) Item in Domitiani vita talis quasi excursus in fine ponitur (c. XXIII). Qui usus ab imitatoribus Suetonii persaepe repetitur (cfr. infra p. 45 sqq.).

4) Cfr. *H. Nissen*, l. l. p. 498.

B. c. *V—IX. summa vitae*[1]*:* c. *V. natus, VI. nutrimenta, VII. cognomina, VIII. res ab anno quarto usque ad mortem gestae summatim prolatae.*

II. c. *IX—extr.* **vita principis.**

A. c. *IX—LXI.* vita publica.

a) c. *IX—XXIV. res in bello gestae.*

1⁰ c. *IX—XIX. bella civilia,*
IX. enumaratio,
X—XIII. Mutinense,
XIII. Philippense,
XIV. sq. Perusinum,
XVI. Siculum,
XVII. sq. Actiacum bellum,
XIX. tumultus coniurationesque interna,

2⁰ c. *XIX—XXIV bella externa,*
XX. ab ipso Augusto gesta: Dalmaticum Cantabricum,
XXI. sub ductu auspiciisque eius gesta,
XXII. Ianus Quirinus ter clausus, enumeratio ovationum et triumphorum,
XXIII. ignominiae cladesque,

b) *res in pace gestae* c. *XXIV—LXI.*

1⁰ c. *XXIV. sq. rei militaris institutiones novae,*

2⁰ c. *XXVI—XXIX. magistratus atque honores,*
XXVI. consulatus,
XXVII. triumviratus tribunicia potestas regimen morum legumque,
XXVIII. reipublicae reddendae consilia,

3⁰ c. *XXIX—XLVI. administratio urbis,*
XXIX. sq. studia pro urbis pulchritudine,
XXXI. pontifex maximus,
XXXII. vitiorum correctio,
XXXIII. sq. iurisdictio,
XXXV. XXXVI. senatus,
XXXVII. nova officia,
XXXVIII—XLI. ordinum recensio,
XLI. sqq. liberalitas,
XLIII. sqq. spectacula edita,

4⁰ c. *XLVI—LI. Italiae provinciarumque (regnorum) administratio,*
XLVI. coloniae deductae,
XLVII. sqq. provinciarum regnorum adm.,
L. excursus de signo quo utebatur,

5⁰ c. *LI—LVII. clementia et civilitas,*
LII. sqq. templa dictaturam Domini appellationem abhorret,
LIV. senatorum usus,
LV. libellos famosos non expavit,
LVI. alia moderationis exempla,

6⁰ c. *LVII—LX. pater patriae: amor populi.*

B. c. *LXI—extr.* vita privata.

1⁰ c. *LXI—LXVIII. fami-*

---

1) De hac parte infra (p. 34 sq.) accuratius egimus.

liae amicorum clientium aliorum consuetudo,
a) c. *LXI—LXVI. familiae,*
b) c. *LXVI. amicorum,*
c) c. *LXVII. clientium usus,*
2° c. *LXVIII–LXXII. vitia eius,*
LXVIII. primae iuventae infamia,
LXIX. sq. adulteria,
LXXI. sq. ludi indulgentia, libidines,
3° c. *LXXII—LXXIX. vivendi modus,*
LXXII. sq. habitatio cultus habitus,
LXXIV. convivia,
LXXV. quomodo festos dies celebrarit,
LXXVI. sq. cibus potus,
LXXVIII. somnus,
4° c. *LXXIX—LXXXIV. corpus eiusque exercitationes,*
LXXIX. sq. forma statura etc.,
LXXXI. valetudo,
LXXXII. cura corporis,
LXXXIII. exercitationes, ludi,
5° c. *LXXXIV—XC. studia liberalia,*
LXXXIV. eloquentia,
LXXXV. scripta,
LXXXVI. sqq. de modo dicendi et scribendi,
LXXXIX. Graecorum disciplinarum studia, magistri eius,
6° c. *XC—XCIV. religionum usus,*
XC. sqq. tonitrua fulgura somnia auspicia observata,
XCIII. peregrinarum caerimoniarum cultus,
7° c. *XCIV–XCVII. ostenta omina,*
XCIV. usque ad Caesaris mortem,
XCV. post necem Caesaris,
XCVI. in bellis gerendis,
XCVII. mortis,
8° c. *XCVII—CI. mors: ostenta, acta ultima, supremus dies, locus mortis, funus, testamenta.*

3° Tiberius[1]).

I. c. *I—V. gens Claudia,*
II. c. *V—XXIV.* **vita ante princip. init.**
1° c. *V—VIII. natus infantia pueritia adulescentia,*
2° c. *VIII. sq. magistratus civiles militaresque,*
3° c. *X—XV. secessio Rhodi,*
4° c. *XVI—XXI. bella externa ab eo gesta,*
5° c. *XXII. sq. Augusti mors,*
III. c. *XXIV.—extr.* **de Tiberio principe.**
A. c. *XXIV—XLI.* vita publica *(sive de principatus meliore parte — Romae).*
1° c. *XXIV—XXVI. ipsa captura principatus,*

1) In dispositionibus sequentium imperatorum explicandis species tantum exhibuimus, quibus eaedem fere semper res continentur.

2⁰ c. *XXVI—XXXIII. humanitas moderatio,*
3⁰ c. *XXXIII—XXXVII. administratio urbis,*
4⁰ c. *XXXVIII–XLI. itinera.*

B. c. *XLI—extr.* vita privata *(sive de prava principatus parte. — In Campania).*
1⁰ c. *XLI. reipublicae cura abiecta,*
2⁰ c. *XLII–LXVIII. vitia,*
XLII. cupiditas epulandi et potandi,
XLIII—XLVI. libidines venereae,
XLVI—L. avaritia,
L–LVI. necessitudinum odium,
LVII—LXIII. saevitia crudelitas,
LXIII—LXVIII. modus vivendi,
3⁰ c. *LXVIII-LXIX. corpus,*
4⁰ c. *LXIX. religionis usus,*
5⁰ c. *LXX. sqq. studia liberalia,*
6⁰ c. *LXXII. sqq. mors.*

4⁰ Caligula.

I. c. *I—VIII. familia C. Caligulae, I—VII. de patre, VIII. matre etc.*

II. c. *VIII—XIII.* **vita ante princip. init.**
1⁰ c. *VIII. natus,*
2⁰ c. *IX. cognomen,*
3⁰ c. *X. vita castrensis, in matris proaviae aviae Tiberii contubernio,*
4⁰ c. *XI. natura saeva atque probrosa,*
5⁰ c. *XII. matrimonium; mors Tiberii.*

III. c. *XIII—extr.* **de Caligula principe.**

A. c. *XIII–XXII.* vita publica — *sive de principe.*
1⁰ c. *XIII. XIV. ipsa imperii comparatio,*
2⁰ c. *XV. sq. prima acta,*
3⁰ c. *XVII. consulatus,*
4⁰ c. *XVIII—XXII. administratio urbis.*

B. c. *XXII—LX.* vita privata — *sive de monstro.*
1⁰ c. *XXII. divinitatis maiestatisque cupiditas,*
2⁰ c. *XXIII—XXVI. familiae amicorum magistratuum aliorum consuetudo,*
3⁰ c. *XXVII–XLIII. vitia,*
XXVII. sqq. saevitia atrocitas,
XXXVI. libidines venereae,
XXXVII. luxuria,
XXXVIII. sqq. rapinae,
4⁰ c. *XLIII—L. bellum externum,*
5⁰ c. *L. sq. corpus: valetudo statura etc.,*
6⁰ c. *LII. cultus habitus — modus vivendi,*
7⁰ c. *LIII–LV. studia liberalia,*
8⁰ c. *LVI. conspirationes* [1]),
9⁰ c. *LVII. prodigia caedis,*
10⁰ c. *LVIII. sqq. mors.*

5⁰ D. Claudius [2]).

I. c. *I. de patre.*

---

1) Cfr. *Caesar*, c. LXXX.
2) *Lehmann*, Claudius. Gothae 1858 p. 39 sqq.

II. c. *II—X.* **vita ante principat. init.**
- 1⁰ c. *II. natus cognomen infantia pueritia,*
- 2⁰ c. *III. studia liberalia,*
- 3⁰ c. *III—IX. sub Augusto Tiberio Gaio — iudicia,*
- 4⁰ c. *IX. discrimina quae subiit,*

III. c. *X—extr.* **de Claudio principe.**

A. c. *X—XXV.* vita publica.
- 1⁰ c. *X—XIV. prima acta,*
- 2⁰ c. *XIV–XVII. magistratus et honores,*
- 3⁰ c. *XVII. bellum externum,*
- 4⁰ c. *XVIII—XXV. urbis administratio.*

B. c. *XXV–extr.* vita privata.
- 1⁰ c. *XXV—XXX. familiae libertorum usus,*
- 2⁰ c. *XXX. sq. corpus,*
- 3⁰ c. *XXXII. sq. modus vivendi,*
- 4⁰ c. *XXXIV—XLI. vitia,*
- 5⁰ c. *XLI. sq. studia liberalia,*
- 6⁰ c. *XLIII—extr. mors.* c. *XLVI. praesagia mortis.*

6⁰ Nero.

I. c. *I—VI. gens Domitia.*

II. c. *VI–VIII.* **vita ante princ. initium.**
- 1⁰ c. *VI. natus eiusque prodigia — pueritia,*
- 2⁰ c. *VII. adoptio,*
- 3⁰ c. *VIII. principatus comparatio.*

III. c. *VIII — extr. de* **Nerone principe.**

A. c. *VIII—XX.* vita publica (— *sive de bona imperii parte),*
- 1⁰ c. *IX. sq. pietas liberalitas clementia comitas in republica administranda,*
- 2⁰ c. *XI—XVIII. urbis administratio,*
- 3⁰ c. *XVIII. cura imperii propagandi,*
- 4⁰ c. *XIX. peregrinationes.*

B. c. *XX—XL.* vita privata [1]) *(sive de vitiis).*
- 1⁰ *probra et scelera c. XX—XXVI progressus in scaenam peregrinationes artificiae,*
- 2⁰ *alia vitia* c. *XXVI—XXXIII,*
  - a) *XXVI. iuvenilia,*
  - b) *XXVII sqq. invalescentia: petulantia libido luxuria avaritia crudelitas saevitia,*
- 3⁰ c. *XXXIII–XXXVI. familiae usus,*
- 4⁰ c. *XXXVI–XXXIX. aliorum consuetudo,*
- 5⁰ c. *XL–LI. seditiones provinciarum,*
- 6⁰ c. *XLVI—LI. mors,*
- 7⁰ c. *LI. corpus,*
- 8⁰ c. *LII. studia liberalia,*
- 9⁰ c. *LIII—LV. popularitatis cupiditas,*
- 10⁰ c. *LVI. religionum usus,*
- 11⁰ c. *LVII. aetas.*

1) Cfr. *Clason,* l. l. p. 20.

7° Galba.

I. c. *I. signa quibus quid futurum esset apparuit.*
II. c. *II. sqq. gens familia Galbae.*
III. c. *IV—X.* **vita ante imper. accept.**
1° c. *IV. natus — prodigia futuri,*
2° c. *V. studia liberalia — matrimonia,*
3° c. *VI—IX. magistratus.*
IV. c. *X—extr.* **de Galba principe.**
A. c. *X—XVI.* vita publica.
1° c. *X. sq. ipsa principatus comparatio,*
2° c. *XII. sq. fama vitiorum,*
3° c. *XIV. sq. prima acta,*
4° c. *XVI. sq. seditiones.*
B. c. *XVII—extr.* vita privata.
1° c. *XVII. familiae usus,*
2° c. *XVIII. monstra exitus,*
3° c. *XIX. sq. mors,*
4° c. *XXI. corpus statura etc.*
5° c. *XXII. vivendi modus,*
6° c. *XXIII. aetas.*

8° Otho [1]).

I. c. *I. gens Othonis.*
II. c. *II—VII.* **vita ante princip. accept.**
1° c. *II. III. natus pueritia adulescentia,*
2° c. *IV. imperii occupatio.*
III. c. *VII — extr.* **de Othone principe.**
A. c. *VII—IX.* vita publica.
1° c. *VII. prima acta.*
2° c. *VIII. sq. seditiones.*
B. c. *IX. sqq.* vita privata.
1° c. *IX. sqq. mors,*
2° c. *XII. corpus — modus vivendi.*

9° Vitellius.

I. c. *I—III. de Vitelliis.*
II. c. *III—XI.* **vita ante princip. init.**
1° c. *III. natus pueritia adulescentia,*
2° c. *IV. sub Gaio Claudio Nerone,*
3° c. *V. honores et magistratus,*
4° c. *VI. uxores — familiae usus.*
III. c. *VII — extr.* **de Vitellio principe.**
A. c. *VII—XVI.* vita publica.
1° c. *VII—XI. de creatione,*
2° c. *XI. prima acta,*
3° c. *XII. principatus principia,*
4° c. *XIII. sq. vitia,*
5° c. *XV. seditiones provinciarum.*
B. c. *XVI. sqq.* vita privata.
1° c. *XVI—XVIII. mors,*
2° c. *XVIII. aetas.*

10° D. Vespasianus.

I. c. *I. Flavia gens.*
II. c. *II—VIII.* **vita ante principat. init.**
1° c. *II—V. natus pueritia adulescentia,*
2° c. *V. ostenta imperii futuri,*
3° c. *VI. sq. imperii expugnatio.*

1) *Krause*, de vita Othonis. 1880 Berol.

III. *c. VIII — extr.* **de Vespasiano principe.**
A. *c. VIII—XX.* vita publica.
1° *c. VIII—XI. prima acta,*
2° *c. XII—XVI. civilitas clementia in administranda republica,*
3° *c. XVI. pecuniae cupiditas,*
4° *c. XVII—XX. urbis administratio.*
B. *c. XX — extr.* vita privata.
1° *c. XX. corpus,*
2° *c. XXI. vivendi modus,*
3° *c. XXII. sqq. iocosa et dicacia dicta,*
4° *c. XXIV. mors,*
5° *c. XXV. excursus de geniturae fide.*

11° D. Titus.

I. *c. I—VI.* **vita ante princip. init.**
1° *c. I. natus,*
2° *c. II. educatio, pueritia,*
3° *c. III. corporis et animi dotes studiaque,*
4° *c. IV—VI. magistratus atque honores.*
II. *c. VII—extr.* **de Tito principe.**
A. *c. VII— X.* vita publica.
1° *c. VII. vitia suspecta,*
2° *c. VIII. virtutes,*
3° *c. VIII. prima acta,*
4° *c. VIII. fortuitae sub eius principatu calamitates,*
5° *c. IX. pontifex maximus.*
B. *c. X. XI.* vita privata: *mors et quae eam sequuntur.*

12° Domitianus.

I. c. *I—III.* **vita ante princip. init.**
1° *c. I. natus adulescentia.*
2° *c. II stipendia sub patre et fratre facta — modus vivendi.*
II. *c. III — extr.* **de Domitiano principe.**
A. c. *III – X.* vita publica *(sive bona pars).*
1° *c. III. prima acta,*
2° *c. IV. sq. urbis administratio — spectacula,*
3° *c. VI. expeditiones — bellum civile,*
4° *c. VII. institutiones novae,*
5° *c. VIII. iurisdictio,*
6° *c. IX. virtutes in republica administranda praebitae.*
B. c. *X. — extr.* vita privata *(— sive vitia).*
1° *c. X—XIV. vitia,*
2° *c. XIV—XVIII. mors. — prodigia (c. XV.),*
3° *c. XVIII. sq. corporis statura atque studia,*
4° *c. XX. studia liberalia,*
5° *c. XXI. dicta notabilia,*
6° *c. XXII. libidines,*
7° *c. XXIII. excursus de rebus mortem Domitiani sequentibus memoratu dignis.*

Iam pergamus atque ad uberius explicandas dispositiones vitarum primum de locis illis breviter disputemus, quibus scriptor sive plane sive occulte nobiscum communicat, quam

rationem viamque exsecutus sit. Valde autem dolendum est, quod Caesaris vitae praefatio, in qua dedicationem ad Septicium Clarum praefectum extitisse verisimile est, aetatem non tulit. Nam hoc loco Suetonium uberius de consilio suo egisse opinamur. Nihilominus compluribus iam locis apertissime de modo suo scribendi verba fecit, quorum hos praecipue afferamus.

Caesar: c. *XXXIV. ordo et summa rerum, quas deinceps gessit, sic se habent..*

ibid. c. XLIV. Talia agentem atque meditantem mors praevenit. De qua priusquam dicam, ea quae ad formam et habitum et cultum et mores nec minus quae ad civilia et bellica studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

Augustus c. *IX. Proposita vitae eius velut summa, partes singillatim neque per tempora sed per species exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint.*

ibid. c. LXI. Quoniam, qualis in imperiis ac magistratibus regendaque per terrarum orbem pace belloque reipublicae fuerit exposui: referam nunc interiorem ac familiarem eius vitam quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit a iuventa usque ad supremum vitae diem [1]).

Tiberius. c. *XLII. Ceterum ... cuncta simul vitia male diu dissimulata tandem profudit: de quibus singillatim ab exordio referam.*

ibid. c. LXI. singillatim crudeliter facta eius exequi longum est: genera velut exemplaria saevitiae enumerare sat erit.

Nero c. *XIX. haec partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna in unum* [2]) *contuli ut secernerem a probris ac sceleribus eius, de quibus dehinc dicam* [3]).

Ex his quos attuli locis facile colligitur Suetonium id semper egisse, ut, diebus natali et fatali exceptis, vitam quasi rem unam complecteretur neque umquam eum accuratius spectasse ad rationem temporum, sed, ut ipsius verbis

---

1) Hoc tantum loco Suetonius plane dicit se in unum collaturum esse res huc pertinentes inde a pueris usque ad diem supremum; aliis enim in vitis (cfr. ex. grat. Domit. c. II., c. X. sqq. Calig. c. XI., c. XXII. sqq. Claud. c. II., c. XXX. sqq.) divisae sunt res. — Simili autem modo idem fere repetitum est Tib. c. XLII. 'ab exordio referam' atque Nero c. XIX. 'in unum contuli'.

2) Omnibus his locis Suetonius secernit summam vitae a rebus singillatim prolatis: cfr. Caes. XXXIV. 'ordo et *summa*'; ib. c. XLIV. '*summatim*'; Aug. c. IX. 'vitae *summa*'; Tib. c. XLII. '*cuncta* vitia, *singillatim*'; ib. c. LXI. '*singillatim*'; Nero c. XIX. 'in *unum* ...'

3) Cfr. Calig. c. XXII. init.; Domit. c. X., alios locos.

utar, 'per species' vitas exsecutum esse. Quod praecipue elucet ex Augusti capit. IX. loco prolato. Causam autem consilii huius affert eam 'ut distinctius omnia demonstrari cognoscique possint'.

Copias collecticias Suetonius undecumque excerptas in vitis constipavit. Locis fere innumerabilibus quosque enumerare longum est, ex ipsius verbis intellegere licet, quomodo id effecerit. Sat erit paucos proferre, quibus potissimum qua diligentia in perscrutandis, ex quibus hausit materiam, fontibus versatus sit, perspicietur; cfr. ex. gr. Claud. I.; Othon. c. II. III. VII. IX. X. XII. Vit. c. I. II. V. VI. VII. XIV. Vespas. c. I. IV. V. VII. XVI. XXV. etc. etc. Quisquis de hac re, de fontibus scilicet et auctoritatibus Suetonii, plura cognoscere cupit, virorum doctorum de hoc argumento adeat scripta [1]).

Iam igitur et ex ipsius scriptoris verbis et ex modo vivendi versandique in studiis quo usus est imaginem nobis confingere licet, quemadmodum materiam contulerit et disposuerit. Cum „perspicuitas" rerum prolatarum primarium gravissimumque eius esset principium [2]), quaecumque excerptione digna invenerat ad certas rationes divisit. Quapropter species illas sibi constituit atque in eas quasi in lexici columnas omnia distulit. Ex hominum autem natura et indole ipsorum studia explicantur; sic Suetonius propria ratione vivendi et in litteris versandi in proposito suo valde adiuvabatur. Publicis enim magistratibus numquam diutius functus nec magis animi quadam magnitudine naturali adiutus sed libros indefesso studio legere excerpere inter se conferre solitus, facilius ille singularia facta vel dicta animadvertere ac per capita componere quam aequabilem copiosumque rerum processum, qui vitae humanae decursum imitaretur, pertexere potuit. Praeterea et propter consuetudinem virorum illius aetatis doctorum et ipso officio ab epistulis adiutus optimos facile adire poterat fontes. Postea cum e publico plane secessit et in otio litteris tantum operam dedit, magnam illam materiam collatam secundum consilium memoratum in ordines digessit. Sic imprimis effectum est, ut temporum rationem et rerum perpetuitatis consensum interiorem paene neglegeret et ad res diversas in locos diversos distribuendas praecipue spectaret. Saeculum autem

---

1) Imprimis nominandi sunt: *Schweiger*, de Suet. font. et auct. Gott. 1830. *Krause*, item Berol. 1831. *Lehmann*, de Claud. vitae font. Gothae 1858. *G. Dederding*, l. l., *Krause*, de vita Othonis, Berol. 1880. *Clason*, l. l. et Plut. und Tac., Berol. 1870. *Roth*, praef. in edit. p. XV. sq. *Ranke*, Weltgesch. III. 2. 319 ff. *Golbéry*, *Prutz*, *Egger*, *Hirzel* alii.

2) Cfr. Aug. c. IX.

ipsum quo scriptor vixit, moresque temporum valde favisse huic operi non est quod pluribus exponam (cfr. p. 7).

Nonnulla in universum ad species ipsas illustrandas afferre liceat. Hae fere sunt, quibus Suetonius plerumque utitur: de natu et ortu, de corpore vivendi modo magistratibus virtutibus vitiis amicorum propinquorum inimicorum usu studiis corporis et animi voluptatibus et libidinibus legibus et institutionibus bellis portentis oraculis ostentis ad natum principatum mortemve pertinentibus, aliis. Quas partes dum separare studet, tam perverso saepe tamque inepto modo nuntios varios disposuit, ut ferme non appareat, quemadmodum narrationes inter se cohaereant.

Quod singulis vitis comprobare non opus erit; nam in unaquaque eiusmodi perversitas inveniri potest, ita ut ne Augustus quidem, rationis Suetonianae nobilissimum exemplum, morum atque vitae primi imperatoris imaginem veram perfectamque nobis praebeat. Nam multa, quae hoc loco summi momenti erant, Suetonius praetermisit. Nihil affert de ratione, qua Augustus Maecenate Agrippa aliis usus sit, nihil de Horatio Vergilio Livio aliis scriptoribus huius aevi adicit; vel nullis vel parcissimis verbis in Tiberio Seiani scelera illustrat; trium principum rebellio, quantum ad Suetonium attinet, obscurissima foret nisi Taciti historias fortuna servasset. Rursus evenit, ut multae res repetantur et uberrime tractentur, quas novisse minus interest ad diiudicandos mores Octaviani: ita exempli gratia tota pars Augusti quae pertinet inde a cap. V. ad IX. satis supervacanea est.

Saepe Suetonius genera certis verbis distinxit et secrevit, ita ut iam initialibus singulorum capitum vocabulis cognoscere possimus, quae tractata sint velut in lexici columnis; cfr. ex. gr. Caes.: c. 45. fuisse traditur excelsa *statura* etc.
ib. c. 46. *habitavit* primo etc.
„ c. 49. *pudicitiae* eius famam etc.
Aug. c. X. omnium *bellorum* etc.
„ c. XX. *externa bella* etc.
„ c. XXIV. in *re militari* et commutavit etc.
„ c. XXVI. *magistratus atque honores* etc.

Quae res optime mihi quidem ex Claudio elucere videtur: Claud. c. I. *patrem,* II. *natus,* III. *disciplinis,* V. *honores,* IX. *discriminibus,* X. *imperium cepit,* XII. *ut in semet augendo,* XIII. *nec expers insidiarum,* XIV. *consulatus,* XV. *in cognoscendo atque decernendo,* XVII. *expeditionem,* XVIII. *urbis annonaeque curaan,* XX. *opera,* XXI. *congiaria,* XXIV. *ornamenta,* XXV. *equestres militias,* XXVI. *sponsas,* XXVII. sq. *li-*

bertos, XXX. *auctoritas*, sq. *valetudine*, sq. *convivia*, sq. *cibi vinique*, sq. *saevum* etc., XLIII. *signa*, XLV. *mors*, XLVI. *praesagia*.

Quid autem continetur singulis partibus? Omnia huc referebantur a Suetonio, quae ei praesto erant. Neque explorata tantum sed etiam tradita dubia incerta ancipitia — plerumque sane auctoribus appositis — profert, ita ut ii, qui scripta legunt, sub titulo uno omnes res memoratu et dignas et indignas invenire possint. Quare difficillimum negotium est, si quis ex particulis his minutis personas ipsas earumque mores denuo sibi confingere studeat, quasi ex tessellis imaginem tessellariam. Nam uti omnia, quae ad speciem unam tractandam pertinere non videbantur, scriptor ibi praetermisit, ita aliis locis etiam repetuntur res singulae (cfr. p. 32).

Circumscripta in universum vitarum Suetonii ratione pervenimus ad singularum descriptionum dispositiones. In exponendis autem de his singillatim iudiciis ab Augusti biographia exeamus atque reliquas ad illam revocemus; nam omnium iudicio et optime est digesta et ceterae ex illa quodammodo pendent. Utrum optime quoque composita sit necne, non satis inter viros doctos constat, quorum alii aliam sententiam bonis causis fulserunt[1]).

Quod autem attinet ad illam quaestionem, num vitae duodecim aliquo modo inter se cohaereant, Regent[2]) contra Dirkseni[3]) sententiam disputantem sequar. Nihil enim Suetonium aliud spectasse puto, quam ut historiam suae aetatis vitis imperatorum componere conaretur[4]). Alia quadam cogitatione adductum esse scriptorem illum non verisimile esse puto. Neque cum Rothio[5]) dubitandum esse videtur, quin Suetonius ipse opus suum in libros VIII diviserit it quod iam fulcitur ac confirmatur, quod Maximus, imitator continuatorque Tranquilli, idem fecit[6]).

Accedentibus nobis ad singulas vitarum partes accuratius describendas earumque usum explicandum facile apparebit ex ipsis rebus gestis quae in vitis singulis continentur valde pendere et usum et ordinem generum. Sic fit ut, cum

---

1) *Nissen*, l. l.; *Ranke*, W. G. III. 2 p. 318 sqq., 342; *Niebuhr*, R. G. 233. Vortr. I. 164 sqq. alii.
2) l. l. p. 18.
3) Abhdlg. der Berl. Akad. 1848.
4) Cfr. Galbae c. I.
5) l. l. p. XI. sq.
6) Cfr. *Th. Birt:* antikes Buchwesen. Berl. 1882 p. 308, 380 sq. *Jac. Mueller*, apud *Buedinger*, Unters. zur röm. Kaisergesch. III. p. 122.

multae species fere ubique nobis occurrant, aliae rarius atque nonnullis tantum locis vel semel adhibitae sint: neque aliter res se habet in rebus in ordinem digerendis. De his ut uberius disputemus proximae commentationis huius parti reservatum est ubi et similitudines et diversitates circumscribemus.

Ceterum certam semper viam Suetonium secutum esse opinamur. Quod iam ex praefationibus elucere videtur. Omnibus enim vitis caput praemisit auctor, quo aut de gente et familia imperatoris aut de patre saltem agebat.

De gente autem uberius exponere tum solet, si primus ex ea oriundus imperator principatum init: cfr. Aug. c. I—V; Tib. c. I—V; Nero c. I—VI; Otho. c. I; Vit. c. I—III; Vesp. c. I. In successoribus vero eiusdem familiae tractandis aut de familia et patre tantum verba facit (cfr. Cal. c. I—VIII; Claud. c. I.), aut ab nomine ipso principis sine ambagibus descriptionem incipit: cfr. Tit. c. I. Domit. c. I.

Peculiari quodam modo Galbae praefatio composita est. Cuius primo capite signa illa proferuntur, quibus quid futurum sit, indicatur (Galbae c. I). His demum rebus relatis ad familiam huius principis describendam Suetonius accedit (Galbae c. II—III). Hoc loco scriptor fortasse ideo a ratione consueta digressus est, quia tum Nerone occiso Caesarum stirps primum defecit atque historiarum conexus hoc loco singulari et miro modo interruptus erat.

Ex his, quae de ineuntibus vitis attuli, satis verisimile fit etiam in Divi Iulii vita primo loco de gente familia ortu Caesaris expositum fuisse. Qua coniectura certe defectus ille optime suppletur [1]).

Praefationem *de gente Octavia* in Augusti vita capita quattuor (V—IX) sequuntur *de summa vitae* inscripta. Quam quidem speciem uti in ceteris vitis non invenimus, ita tamen huic similes saltem esse videntur Caesaris (c. VI—XL) ceterorumque imperatorum partes eae, quibus agitur *de vita ante principatum initum;* cfr. Tib. V—XXIII etc. Nam etiam in illo Augusti segmento Suetonius magis id spectavit (c. V, VI, VII, VIII), ut de natu pueritia adulescentia aliis rebus quam de ipso principatu (quem his tantum verbis: *novissime per quattuor et quadraginta solus rem publicam tenuit* breviter descripsit) nos certiores faceret. Quapropter speciem illam quae est in Augusto *de summa vitae* eandem esse credimus atque

---

1) *J. Regent,* l. l. p. 18. *Lud. Vives,* edid. Suet. a. Pulmann. Antverp. 1574. p. 29 sqq.

eam quam in ceteris descriptionibus vocavimus *vitae ante principatum initum summam;* itaque discrepantia maioris momenti non intercedit. Nihilominus, quatenus etiam hac in re vitae diversae differant breviter expediendum erit; facile autem apparebit dissimilitudines potissimum suspensas esse ex ipsa persona quae tractatur.

Maximus enim ex. gr. huius partis consensus inter Caesarem et Titum exstare videtur, quod inde factum nimirum, quia utriusque viri principatus brevissimus erat. Itaque species *de vita ante principatum initum* hic tanta est, quanta in ceteris, si totius operis magnitudinem comparamus, non invenitur. Agitur autem in Caesare (c. I—XL) *de primis stipendiis et rebus publice gestis* (c. I—V), *de magistratibus* (c. V—XXX), *de bello civili* etc. (c. XXX—XL) itemque in Titi c. I—VII *de natu educatione*[1]) (c. I—III), *de magistratibus et rebus in illis gestis* (c. IV—VII).

Ceterae vitae in huius generis tractatione fere omnino inter se concordant. Nam diversitates in Augusto occurrentes minimi esse momenti supra diximus. Iam de Caligulae cap. XI admonendum esse puto, quod de natura saeva ibi ac probrosa verba facta sunt; id quod inde mihi evenisse videtur, ut auctor prolatis iuventutis iam vitiis quasi praepararet lectorem ad monstrum illud quod postea c. XXII—LX descriptum est, melius cognoscendum. Nihil enim aliud est atque si in Titi c. III dotes bonas pueri et corporis et animi Suetonius attulit. Simili quodam modo in Claudii cap. III. de iuvenis studiis liberalibus expositum est, quam rem accuratius deinde scriptor persequitur cap. XLI sq.

Sed aliter res se habet in Galbae c. V ineunte, ubi dictum exstat: *Inter liberales disciplinas attendit et iuri.* Nihil aliud hoc est quam abrupte interiecta mentio studiorum, cum toto capite de matrimoniis Galbae agatur. Talia autem certa ratione carentia passim plura inveniuntur apud Suetonium (cfr. ex. gr. Caesar. c. 43 pr.).

Exceptis igitur minoribus illis diversitatibus supra allatis vitae hac in parte omnino similitudinem tractationis praebent. Nam omnibus iisdem de rebus eodem ferme ordine a Suetonio agitur: de natu scilicet, nutrimentis, educatione, primis stipendiis, magistratibus etc. Persuasum quoque habemus — id quod evidentissime ex dispositionibus prolatis elucescit — omnes partes, quae sunt *ante principatum initum* ex ratione temporum conditas esse.

1) Hanc rem in ineunte Caesare quoque tractatam fuisse supra suspicati sumus (p. 34).

Àbsolutis duabus illis partibus, quae sunt praefatio de gente familia patre et vitae ante principatum initum summa, ad ipsam rem Suetonius pergit vitamque in ipso imperio administrando gestam singillatim per species describit. Nullo modo ambigitur, quin hoc in capite ratio Suetoniana optime perspici liceat.

Quo autem 'distinctius demonstrari cognoscique possint' vitae, auctor duas sibi partes principatus finxit, alteram qua res publice (pace belloque) gestae, alteram, qua privatae congererentur. Atque cum divisione illa argumenti in omnibus imperatoribus usus sit, varietas tantum ipsa re efficitur; etiam titulos quasi inscripsit partibus diversis, ut:

Tib. *c. XXIV—XXXIX: res Romae,*
c. XLI — extr.: in Campania gestae,
Calig. *c. XIII—XXII: de principe,*
c. XXIII—LX: de monstro,
Nero *c. VIII—XX: de rebus sine reprehensione gestis,*
c. XX—XL.: de probris et sceleribus,
Domit. *c III—X: ab omni caede abhorrens,*
c. X — extr. neque in clementiae neque in abstinentiae tenore permanens.

Pauca tamen de ipsis illis partibus vitae publicae atque privatae addenda sunt. Quo melius a lectoribus perspici possint in hanc tabulam eas contuli:

Vita publica	Vita privata
Caes.: c. XL—XLV	XLV — extr.
Aug.: c. IX LX	LX—CI.
Tib.: c. XXIV—XLI	XLI — extr.
Cal.: c. XIII—XXII	XXII — extr.
Claud.: c. X—XXV	XXV — extr.
Nero: c. VIII—XX	XX — extr.
Galba: c. X—XVI	XVII — extr.
Otho: c. VII—IX (XVI) ...	IX — extr.
Vit.: c. VII—XV	XV — extr.
Vesp.: c. VIII—XX.......	XX — extr.
Tit.: c. VII—X	X — extr.
Domit.: c. III—X	X — extr.

Qua ex enumeratione locorum facile intellegetur fere semper vitam privatam uberius esse enarratam quam publicam, exceptis tantum Galba, ubi duae partes inter se pares sunt, Vitellio Vespasiano Tito, ubi res publice gestae capitum numero superant privatas. Nihilominus etiam hac in re dissimilitudinis causae mihi in promptu esse videntur; nam in

omnibus hisce vitis iam antea sive in parte *de vita ante principatum acta* sive in illa *de vita publica* res ad domesticam vitam pertinentes pertractatae sunt. Ita in Galbae c. V *de studiis liberalibus et matrimoniis,* eiusdem c. XII—XIV *de vitiorum fama,* in Vitellii c. VI *de usu suorum,* eiusdem cap. XIII—XV *de vitiis,* in Vespasiani c. XII—XVI *de virtutibus et vitiis,* in Titi c. III *de corporis et animi dotibus* verba facta sunt. Suetonium igitur interdum a via sua paullulum digressum esse elucet neque dubitasse res quae vere privatae sunt inserere vitae publicae, si quid ad hanc declarandam afferebant.

Tamen etiam hae discrepantiae leviores sunt. Etenim complurium imperatorum omnino in rebus publice gestis virtutes tantum, in privata vita describenda vitia tantum afferri poterant[1]). Quapropter ad ipsam utriusque partis diversitatem illustrandam uberius a scriptore exposita sunt. Praeter haec, quae iam suam defensionem habent, duas tantum res inveni privatae vitae descriptioni insertas, quas ad res publice gestas re vera pertinere nemo erit qui neget. Ac primum quidem Calig. c. XLIII—L, quo loco bellum externum ab illo susceptum continetur. Utrum Suetonius certis de causis — ad ipsam fortasse rem illam publicam quasi privatam ludificandam et cavillandam — hoc modo rationem suam laeserit necne certe dici non potest. Deinde afferendum est Neronis c. XL sqq., ubi de provinciarum seditionibus agitur. Fortasse Tranquillus ibi de rebus illis exposuit propterea, quia vitiorum praecipue imperatoris vitaeque eius privatae causa tumultus exorti essent.

Postquam de illis vitarum Suetonianarum partibus egimus, in quas ipse principatus divisus est, nunc ad singulas vitas distinctius percensendas accedamus ac primum quidem de Caesare, deinde de ceteris Iuliis, tum de Nerone et anni 69 p. C. n. imperatoribus, postremo de Flaviis disputemus. Hae quidem vitae — id quod infra nos comprobaturos esse speramus — similitudine imprimis inter se nexae sunt, cum Caesar quasi per se stet.

Sed vita Caesaris propterea summi nobis momenti est, quia Nisseni sententia, de qua primo huius commentationis capite pluribus disseruimus, ipsius Caesaris dispositione fulciri falso visa est. Vir enim ille doctissimus peculiari eam aliaque atque ceteras vitas dispositam esse ratione immerito contendit. Equidem diversitatem in ipsa re tractanda et in ipso vitae decursu positam esse opinor. Nam, ut iam supra p. 35 vidi-

1) Cfr. Tib., Cal., Ner., Dom.

mus, Suetonius vitae ante principatum initum partem ex temporum serie semper enarravit neque rationem suam 'per species' disponendi adhibuit nisi in ipso imperio explicando. Caesar autem unum solum annum imperator erat, postquam et Pompeium et partes eius devicit. Ergo inde a natu usque ad hoc tempus res optimo iure e temporum ratione in ordinem digestae sunt (cap. I—XL). At vero capite quadragesimo scriptor ad ipsum principatum perscribendum accedens statim ratione sua peculiari usus est; neque aliter deinde Caesar dispositus est atque ceteri imperatores. Sequitur enim primum de vita publica pars c. XL—XLIV, qua absoluta Suetonius ex more suo vitam privatam enarrat c. XLV sqq. Nihil autem refert, quod res publice gestae quattuor tantum capitibus consummantur; omnes enim res in illis continentur, quae huc pertinent: administratio scilicet urbis et consilia, quae Caesar in futuram illius magnitudinem ceperat. Quapropter in Caesare ne minimum quidem inveniri opinamur, quo alio eum modo atque ceteras vitas dispositum esse comprobari possit. Multae denique res huic cum illis communes sunt atque Suetonius ipse in extremo capite eiusdem Caesaris XLIV [1]) consilium suum vitam interiorem 'per species' describendi satis plane pronuntiavit.

Quod autem ad species ipsas in Caesare adhibitas attinet, ut nullam invenimus, quin in ceteris quoque vitis nobis occurrat, ita magnam omnino similitudinem Divus Iulius cum subsequentibus imperatoribus praebet, modo ipsarum rerum diversitatis respectus habeatur. Qua de causa cum his eum componamus.

Augustum optime ab Suetonio esse dispositum iam diximus (p. 32). In solo Augusto subdivisio vitae publicae invenitur talis, ut altera parte res in bello, altera res in pace gestae explicentur. Bella autem perbene in civilia atque externa divisa sunt. Sed etiam hanc primi imperatoris proprietatem in ipsa re positam esse opinor; nam in principatu ipso neque Caesar neque ceteri Iulii bella maioris momenti gesserunt; propterea Suetonius et in Caligula bellum Britannicum vitae privatae inseruit (cfr. supra p. 37) et in Claudio uno tantum capitulo expeditionis externae mentionem fecit (cfr. p. 27).

Ceterum Iulii et in usu partium et in ordine argumenti egregie congruunt inter se. Quod cum iam ex ipsis dispositionibus supra prolatis perspici possit, tamen ad rem dilucidius illustrandam tabulam construximus, quam in proxima pagina (p. 39) proferemus.

1) Cfr. p. 30.

Iulii

A. Vita publica.

Caesar	Augustus	Tiberius	Caligula	Claudius
—	—	*imperii comparatio*	*imp. compar.*	—
—	*bella*	—	—	—
—	*rei militaris institutiones*	—	—	—
—	—	—	*prima acta*	*prima acta*
—	*magistratus*	*magistratus*	*magistratus*	*magistratus*
administratio urbis	*admin. urbis*	*admin. urbis*	*admin. urbis*	*admin. urbis*
—	*admin. Italiae etc.*	—	—	—
—	*clementia etc.*	—	—	—
—	*pater patriae*	—	—	—
consilia futura	—	—	—	—

B. Vita privata.

Caesar	Augustus	Tiberius	Caligula	Claudius
—	*familiae usus*	—	*familiae usus*	*familiae usus*
corpus	—	—	—	—
—	*vitia*	*vitia*	*vitia (bellum externum)*	—
mores, vivendi modus	*vivendi modus*	*vivendi modus*	—	—
studia { *civilia* *bellica* }	—	—	—	—
—	*corpus*	*corpus*	*corpus*	*corpus*
usus hominum	—	—	—	—
—	—	—	*vivendi modus*	*vivendi modus*
—	*studia liberalia*	—	*studia liberalia*	*studia liberalia*
vitia	—	—	—	—
—	*religionis usus*	*religionis usus*	—	—
coniuratio	—	—	*coniuratio*	—
—	—	*studia liberalia*	—	—
prodigia	*prodigia*	*prodigia*	*prodigia*	*prodigia*
mors	*mors*	*mors*	*mors*	*mors*
quae mortem sequuntur	—	—	—	—

Ex qua tabula ut res similes percipiantur commentario non opus erit. Differentias autem re ipsa declarari et excusari iam expositum est. In omnibus vitis easdem species habes eodem fere ordine, praecipue in interioris vitae tractatu.

Quo evidentior fiat consensio, quae intercedit inter Neronem Galbam Othonem Vitellium, etiam de his imperatoribus eiusmodi tabulam composuimus, ex qua perspici possit, quid in sigulis simile, quid diversum sit (cfr. infra). Dispositio quatenus laesa sit, supra p. 37 indicatum est. Ceterum in utraque parte — et vitae publicae et privatae — omnia eodem modo procedunt. In similitudinibus autem praecipue habenda est vitae privatae adornatio, quae plane differt ab Iuliis. Nam familiae aliorum hominum usu exposito statim de morte agitur, qua illustrata Suetonius demum ad corpus modum vivendi studia aetatem narranda transit. A re mihi hoc loco non alienum esse videtur admonere lectores de verbis a Tranquillo in cap. XLIV Caesaris praelatis: *talia agentem ... mors praevenit, de qua priusquam dicam ea, quae ad formam ... non alienum erit, summatim exponere.* Nam cum auctor ibi aperte dicat se primum vitam interiorem, deinde mortem esse descripturum, in Nerone et subsequentibus imperatoribus tractandis rem plane pervertit, ita ut primum de obitu tum de familiari consuetudine etc. exponat. Cur tamen sic a se desciverit scriptor, declarari potest. In omnibus enim his vitis de quibus disputo agitur de seditionibus, quibus imperator interemptus est. Itaque perbene res inter se cohaerebant, si mors cum seditionibus statim coniungebatur.

Nero	Galba	Otho	Vitellius
	A. Vita publica.		
principatus occupatio	*princ. occup.*	*princ. occup.*	*princ. occup.*
virtutes	*vitiorum fama*	—	—
administratio urbis	*prima acta*	*prima acta*	*prima acta*
imperii propagandi cura	—	—	—
peregrinationes	—	—	—
—	*seditiones*	*seditiones*	*seditiones*
	B. Vita privata.		
vitia	—	—	—
familiae usus	*fam. usus*	—	—
seditiones provinc.	—	—	—
omina	*monstra*	—	—
mors	*mors*	*mors*	*mors*
corpus	*corpus*	*corpus*	—
—	*vivendi modus*	—	—
studia liberalia	—	—	—
cupiditas popularitatis	—	—	—
religionum usus	—	—	—
aetas	*aetas*	—	*aetas*

Alia autem etiam differentia eaque minor in his vitis nobis occurrit. Adiectum enim habent ad particulam illam, quae est de morte, aliam, qua de aetate viri agitur, quocum plura quoque coniungi solent, quae mortem excipiebant. Excursus hi sunt fini vitarum inserti, quales etiam in Caesaris c. LXXXV sq., Vespasiani c. XXV, Domitiani c. XXIII invenimus. Commentario igitur non indigent.

Iam accedimus ad ultimam seriem Caesarum a Suetonio tractatorum, ad Flavios scilicet. Novum ordinem rerum ut scriptor ad hos describendos non sibi finxit, ita Vespasianum et Titum fere in Iuliorum, Domitianum in Neronis et subsequentium principum rationem composuit. Quapropter de hac vitarum classi paucis absolvi potest transactio.

Et nova quidem species reperitur in Vespasiani c. XXII et Domitiani c. XXI ea, qua dicta memorabilia sive apophthegmata traduntur. Quamquam enim talia etiam in ceteris persaepe nobis occurrunt (cfr. ex. gr. Caes. c. 30, 31, 32, 34; Aug. c. 13, 16 etc. etc.), tamen in „speciem" peculiarem ibi non congesta sunt.

Praeterea de Vespasiano nihil addendum est, cum de excursu vitae extremae interposito, quo de geniturae fide agitur, iam supra verba facta sint. De similitudinibus autem, quae inter Titum et Caesarem intercedunt, in pag. 35 accuratius exposuimus neque minus p. 35 in Tito explanavimus partis de vita privata insolitam brevitatem ex socordia scriptoris non esse derivandam.

Domitiani denique vitam pessime omnium dispositam et compositam esse, ita ut imperfectam esse viri docti suspicati sint (Ranke l. l.), supra commemoravimus. Nihilominus qui diligentius eam inspexerit, facile intelleget Neronis, Galbae, Othonis, Vitellii praecipue schema in ea iterari. Quod imprimis inde apparet, quod mors eodem tractata est loco atque in his quos dixi principibus.

Sic tandem dispositionis artificia, quae Suetonius in vitis exercuit, excussimus fere omnia atque istam disputandi exhausimus materiem. Superest ut paucis complectamur, quae eruere adhuc hac commentatione conati sumus.

Suetonium in universum viam propriam narrandi et disponendi — quam quidem nullo modo Monumento Ancyrano debet — in omnibus his vitis aequabilem adhibuisse neque ab illa nisi paucis locis iisque minoris momenti deflexisse iam neminem futurum esse speramus qui infitietur. Certam enim et stabilem sibi operis effigiem scriptor animo delineavit, quam ut res ferebat, sed parce commutavit. Sic factum, ut

imperatorum duodecim tres classes discernere possimus, in quibus et usus et ordo partium, quas „species" vocavimus, diversi sunt: primam Iuliorum, alteram Neronis Galbae Othonis Vitellii, tertiam Flaviorum. Inter Flavios autem Vespasianus et Titus in Iuliorum, Domitianus in Neronis et consimilium rationem sunt conditi. Schema igitur, quo auctor utitur, hoc est:

I. Praefatio de gente familia etc.
II. Vitae summa sive vita ante principatum acceptum.
III. Vita post principatum initum; quae pars divisa est in
  A. Vitam publicam (res bello paceque gestae) et
  B. Vitam privatam.

Cap. III.

Adhuc non sine lucro quaestionem instituisse nobis videmur. Nunc vero ad munus minus fructuosum transeundum est, ut etiam de 'viris illustribus' Suetonii eorumque compositione disputemus, ut tandem totam eius artem biographicam nobis ante oculos proponamus. Perbene autem iam a viris doctis de opere illo expositum est, imprimis ab Henrico Doergens [1]) et Augusto Reifferscheid [2]), cuius editione usus sum [3]). Tamen nonnulla nos nova prolaturos esse speramus quamvis exilia.

Dubitandum non est, quin Suetonio acturo de viris illustribus libri de eodem argumento iam antea compositi praesto fuerint Varronis Santrae Nepotis Hygini. Id facile iam inde conici potest, quod ipse opera illa citat (Doergens l. l. pars III). Quin etiam hos maxime Tranquillum in disponenda materie imitatum esse opinor, quamquam ex disiectis illis ac dispersis fragmentis certa conclusio non conceditur. Qua de imitatione infra verba faciemus.

Quaestionem autem ita instituamus, ut primum de grammaticis Suetonii (cfr. Reifferscheid l. l. p. 98—119), qui integri fere aetatem tulerint, pauca afferamus, neque in ceteris partibus nisi breviter haereamus.

Toti tractatui index simplex nominum praemissus est

1) Ueber Suetons Werk 'de vir. ill.' Lpzg. 1857.
2) C. Suet. Tranq. praeter Caesares lbb. reliquiae Lips. 1860.
3) Adhibitis profecto etiam ceteris editionibus ab *Ernesti-Wolf, Hase, Gros, Osann, Roth* in lucem proditis.

(ib. p. 370 sqq.). Deinde summatim (c. I—V) Suetonius praefationis loco artis historiam tractat, qua originem progressum omnia denique, quae ad disciplinam pertinere videntur, persecutus est (ibid. et Doergens l. l. part. I, II. p. 6, 7, 10), ita ut

1⁰ *de initio artis grammaticae (c. I),*

2⁰ *de incrementis disciplinae et transitu (c. II) ad*

3⁰ *auream quae dicitur aetatem (c. III),*

4⁰ *de appellationibus grammaticorum etc.* disputetur *(c. IV).*

Eiusmodi praefationes iam Varroni (Ritschl l. l. p. 452) et Nepoti (supra p. 14 sq.) in usu fuisse vidimus, quos Suetonius fortasse secutus est.

Quibus rebus absolutis ad alteram partem libelli Suetonius pergit, ad ipsas scilicet vitas professorum enarrandas. Ibi quamquam nihil aliud studuisse videtur nisi ut — Alexandrinorum πίνακας fortasse imitatus [1] — nomina illustrium hominum paene per catalogi formam proferret et nonnullis quae memoria dignae esse videbantur rebus additis illustraret, tamen in hoc quoque munere Suetonium rationem suam „per species" disponendi adhibuisse sentio. Qua in sententia comprobanda paullulum subsistamus.

Primum enim Suetonius nomine ipso quasi tituli loco praeposito — id quod etiam apud Nepotem usu ferri supra (p. 15) demontravi —, de genere ortu ordine natione singulorum virorum aut certam aut traditam profert adnotationem duabus tantum (XIV, XXII) vitis exceptis; nonnulla exempla sufficient:

cfr. VI. Aurelius Opilius . . . Epicurei cuiusdam libertus.

VII. M. Antonius Gnipho, ingenuus, in Gallia natus — expositus . . . manumissus.

VIII. M. Pompilius Andronicus natione Syrus.

IX. Orbilius Pupillus Beneventanus.

X. Att. Philologus libertinus Athenis.

XI. Val. Cato, ut nonnulli tradiderunt, Burani cuiusdam libertus, ex Gallia, ipse libello — ingenuum se natum — et quae sequuntur omnes.

Singulari quodam modo Saevii Nicanoris vita incipit. Neque vero in Niciae et Marcelli vitis condendis sibi constitit Suetonius.

Qui res supra allatas inspexerit certe comprobabit quod Hieronymus (l. l. p. 821) dicit: 'et quod ille (Suetonius sci-

1) *C. Wachsmuth,* die pinacographische Thätigkeit des Callimachus. Phil. XVI, 653 sqq. *Christ,* L. G. p. 636.

licet) in *enumerandis* gentilium litterarum *viris* fecit *illustribus* ego in nostris faciam'. Nam quid aliud ille praestitit quam enumerationem simplicem virorum, quicumque de grammatica bene meriti sunt?

Sequitur deinde, ut Tranquillus de studiis docendi ratione scriptis virorum singulorum pauca addat:

cfr. V. . . . fecit praeter commentarios . . . satiram . . .

VI. . . . philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime grammaticam docuit. Dimissa schola . . .

VII. . . . institutus Alexandriae . . . ingenii magni . . . nec minus graece latine doctus . . . docuit primum deinde etc. Docuit autem et rhetoricam . . . Scripsit . . .

IX. . . . studia repetiit . . docuit maiore fama quam emolumento . . . librum edidit . . . alias denique vitas omnes.

Quibus in rebus enarrandis Suetonius non ipsorum tantum grammaticorum (cfr. c. V, X, XI, XV, XXI, XXIII), sed etiam aliorum auctorum (cfr. c. VII, VIII, IX, X, XI, XIV, XVI, XX, XXII) iudicia attigit. Saepissime autem, ut in Caesaribus, formulis quibusdam ut *dicitur, traditur* abusus est.

In aliis denique viris Suetonius etiam de vivendi modo vel de obitu nonnulla attulit (cfr. c. V, VI, IX, XI, XIII, XV, XVI, XXII, XXIII), id quod copiosissime fecit in vita Remmii Palaemonis (cap. XXIII).

Denique in libello de grammaticis hoc schema Suetonius secutus est:

A. Index virorum illustrium.

B. c. I–V praefatio: *historia brevis artis grammaticae,*

1° *c. I, initium mediocre,*

2° *c. II, tempus progressus,*

3° *c. III, aurea aetas,*

4° *c. IV, appellationes grammaticorum et quomodo grammatica rhetorica usa sit arte.*

C. c. V—XXIV vitae professorum.

1° *de nomine,*

2° *de ortu ordine genere natione,*

3° *de studiis docendi modo scriptis,*

4° *de vivendi modo.*

Sed haec de libro grammaticorum hactenus. In cuius dispositionem consulto diligentius inquisivi, quo brevius ea perstringere liceat quae supersunt. Et 'de rhetoribus' ita exposuisse scriptorem ut cum grammaticis unius libri corpus efficerent, apparet ex verbis quibus incipit: *rhetorica quoque apud nos* [1]).

1) *Reifferscheid*, quaestion. cap. I. *Doergens* l. l. p. 7.

Dispositionem autem fere eandem rhetores atque grammatici praebent:

A. Index.

B. Praefatio c. I.

1⁰ *de ortu,* 2⁰ *progressu,* 3⁰ *aetate aurea,* 4⁰ *ratione docendi.*

C. Vitae, quae spectant ad

1⁰ *nomen,* 2⁰ *genus etc.,* 3⁰ *studia etc.*

Eandem denique dispositionem etiam libri 'De poetis' reliquiae [1]) exhibent.

Haud paucas inter Suetonium et Nepotem similitudines compositionis occurrere opinamur. Discrepentiae ex ipsa diversitate argumentorum fluxerunt. Certe uterque scriptor eodem ordine de viris illustribus disputat, praefationem singulis partibus praemittit, de nomine genere natione rebus gestis vivendi modo etc. exponit (cfr. supra p. 14 sqq.).

Suspicari igitur merito possumus Suetonium Nepotis artem aemulatum esse; sed uti supra (p. 21) in auctore partium illarum quae vocantur 'species' exquirendo, ita hoc loco nobis liceat paullulum in Graecorum litteras inquirere. Fortasse Nepos iam illarum sectator est.

Hieronymo auctore (de vir. ill. II, 822 Vallarsi) constat inter Graecos iam Aristoxenum Tarentinum, Hermippum, Satyrum [2]) alios de eodem argumento egisse atque Nepotem Suetonium etc. inter Latinos. Praeterea Satyrum simili ratione atque Nepotem opus suum biographicum divisisse in partes singulas, quibus tractabantur: duces, reges, oratores, philosophi, poëtae, verisimile est. Sed propter fragmentorum exiguitatem [3]) non diiudicari potest, utrum res etiam eadem ratione in ordinem digestae fuerint necne. Alias autem vitas benevolentiae fortunae debemus, quibus id quod eruere studemus distincte comprobatur, quarumque nonnullas tantum exhibere sat erit.

Ac primum quidem de Plutarchi quae feruntur vitis decem oratorum paucis disputemus. Optime de his mihi quidem nuperrime egisse videtur Antonius Prasse [4]), cuius textum (p. 45 sqq.) sequor. Primo dissertationis capite perbene de compositione vitarum verba fecit et comprobavit omnibus in

1) *Reiff.* l. l. p. 369—409. *Ritschl,* ibid. p. 481 sqq.

2) Cfr. *C. Mueller,* fragm. hist. Graec. II, p. 269 sqq.; III, 35 sqq.; III, p. 159 sqq. *Bergk,* griech. Litt.-Gesch. I, p. 257—301.

3) *C. Mueller,* l. l. III, p. 159 sqq.

4) 'De Plut. quae fer. vit. decem orat.' Diss. Marb. 1891.

vitis nonnullas res certo ordine certoque consilio enumerari; ex. gr. affero (p. 6, 7) vitarum dispositiones:

I. Antiphontis: *pater, pagus, praeceptores, annus natalis, annus mortis, res gestae (merita), numerus orationum.*

III. Lysiae: *pater, avus, proavus, patria, annus natalis, res gestae, annus mortis, orationum numerus, ratio dicendi.*

VIII. Demosthenis: *pater, mater, avus, pagus, praeceptores, sors, annus natalis, annus mortis, orationum numerus.*

Quis his in dispositionibus legendis non Suetonii grammaticorum reminiscetur? Quae similitudo quo evidentior fiat, etiam textus verba propono, quibus singulae partes indicantur: cfr. ex. gr. Antiphontis vitam (Prasse l. l. p. 45 sqq.): Ἀντιφῶν Σωφίλου μὲν ἦν πατρός .... μαθητεύσας δὲ .... διατριβὴν δὲ συνέστησε, καὶ Σωκράτει διεφέρετο .... καί τινας λόγους .... συνέγραφεν etc. aut Lysiae: Λυσίας ὑιὸς ἦν Κεφάλου τοῦ .... Συρακουσίου μὲν γένος .... τὸ μὲν πρῶτον συνεπαιδεύετο .... etc. Res patet.

Eodem fere modo omnes illae grammaticorum Graecorum vitae compositae sunt, quae aetatem tulerunt, neque opus erit hac in quaestione diutius versari. Nam et corpusculum vitarum scriptorum ab Antonio Westermann editum et Suidae lexici partes singulae, quibus de viris illustribus agitur, in unaquaque fere pagina de arte Suetoniana nos admonent.

Ex his igitur vel talibus exemplis Suetoniana consuetudo manavit. Nolo autem praetermisisse — dum metam huius curriculi tangimus — fuisse etiam inter posteriores, qui Suetonii De viris illustribus exemplum sequerentur. Id valet non solum de Hieronymo et Gennadio Hieronymi continuatore, sed etiam de Trebellio Pollione, Flavio Vopisco, Aurelio Victore, de quibus in huius commentationis capite IV verba faciemus.

Cap. IV.

Per tria capita usque adhuc in artem Suetonii inquisivimus, exempla eius antiquiora anquisimus, Nissenii opinationem de „Historiae Augustae" primo auctore removimus. Dehinc de imitatoribus Suetonii quaestio instituenda est. Eadem enim ars narrandi quae per species procedit, ut ante eum exculta erat, ita post eum exerceri non desiit (cfr. p. 8 et 19), ipse vero clarissimum eius monumentum posuit et pro culmine quasi harum litterarum habendus est, ad quod ascenderunt priores, a quo descendebant posteriores. Quod vero claritudine et auctoritate reliquos superavit Suetonius, id non

arti debuit, sed argumento; quid enim efficacius quidve magis ad se trahebat lectores, quam Caesarum Romanorum ingentia fata grandissimaeque imagines! Quas argumenti virtutes delere non potuit ingenium scriptoris quasi collectaneum et magis rerum pusillarum quam magnitudinis curiosum. Nostrum autem erit inter imitatores eius si minus Graecos [1]), at certe Latinos quam diligentissime poterimus perlustrare, ut inventor ille et conditor Historiae quae vocatur Augustae, quanti apud posteros aestimatus sit, appareat usque ad tempora mediae aetatis. Titulo enim 'Historiae Augustae' [2]) omnes complectimur scriptores vitarum imperatorum inde ab Augusto usque ad Numerianum regnantium [3]). Qui biographi a Casauboni temporibus a multis viris usque ad nostram aetatem pertractati sunt Omnes [4]) autem, qui illis operam navarunt, idem ferme sibi proposuerunt, ut scilicet et auctores vitarum singularum qui fuissent et fontes, ex quibus hausissent, definirent. De dispositione autem et compositione adhuc peculiari et plena disputatione, quantum invenire poteramus, actum non est. Quare hac commentatione probare conabimur omnes illos auctores in compositione secutos esse Suetonium sive sua sponte sive fontium ex quibus hauserunt auctoritate adductos. Qua re explorata fortasse nobis continget, ut etiam de ipsis singularum vitarum auctoribus aliquid lucri capiamus. De his igitur ultimo huius capitis loco paucis disputandum erit.

1.

Suetonium in Historia Augusta excepit Marius Maximus [5]), qui ineunte tertio p. C. n. saeculo imperatorum inde a Nerva usque ad Elagabalum vitas conscripsit. Hic quo modo disposuerit historias, iam saepius a viris doctis disputatum est. Inter primos nominandus est Jacobus Mueller [6]), qui et conatus est ex locis apud ceteros H^{ae} A^{ae} scriptores servatis opus Marii Maximi restituere et de eius compositione p.121–129 perbene exposuit. Satis enim constat Maximum Suetonii

1) Iam a Polyaeno Suetonius excerptus est: cfr. Strategemata VIII, 23, 24. *Melber*. Cassius Dio item eo usus est (cfr. LXIV, 11—13). Inter Latinos primi sunt, qui Suetonii opera adhibuerunt: Tertullianus, alii.

2) Cfr. de hoc nomine *Richter*, Mus. Rhen. t. VII, p. 16 sqq. 1850; *Mommsen*, Hermae t. XIII, p. 298 sqq., qui primum titulum 'Vitae Caesarum' fuisse contendit.

3) *Teuffel*, R. L. G. § 388, 397. *Schaefer-Nissen*, II, p. 134 sq.

4) Cfr. *Herm. Peter*, historia critica script. Historiae Augustae. Bonn, 1860, p. 5, 6.

5) *Teuffel*, § 377, 5 sq. *Schaefer-Nissen*, II, p. 133 sq.

6) Ap. *Büdinger*, Untersuchungen zur röm. Kais.-G. III, 20 sqq. 'der Geschichtschreiber M. Max'.

cum continuatorem tum imitatorem fuisse quam accuratissimum[1]). Neque dubitandum erit, quin rerum adornatio talis fuerit, qualem apud Muellerum (p. 124) reconcinnatam videmus, „per species" scilicet ordinata. Omnes vero, qui postea de hac re scripserunt[2]), illum secuti sunt virum doctum. Quibus de causis paucis tantum in ratione a Maximo observata immorabimur.

Optime mihi de hac re disseruisse videtur Muellerum secutus Adolphus Dreinhoefer (l. l. p. 8—11) cuius tabulam in pag. 9 propositam hoc loco afferre liceat (p. 49).

In omnibus igitur eis vitis, quae iam a Maximo compositae erant quasque posteriores compilaverunt scriptores — quantum ex fragmentis concludere licet — certas quasdam species alias alio modo ordinatas atque nihil esse recognoscimus, quod non in iis locum idoneum acceperit.

Quas species sive rerum partes nemo erit qui non tabula inspecta percipiat easdem fere esse apud Maximum atque apud Suetonium, ordine modo servato modo commutato. Maximus igitur vitas principum ita diviserat, ut initio de origine atque familia et de pueritia rebusque ante imperium gestis ex temporum ordine diceret, deinde imperio atque moribus ut cuique eorum par esset expositis, post narratam mortem brevem personae descriptionem, tabulam operum publicorum, signa mortis, honores mortui imperatoris et iudicium populi, acta publica, temporum descriptiones adderet. Haec illa est partium series, quam apud Suetonium in vitis Neronis et subsequentium imperatorum supra (p. 27 sqq.; p. 40 sqq.) eruimus.

2.

Valde dolendum est, quod ne alterius quidem scriptorum Historiae Augustae Iunii Aelii Cordi[3]) opera aetatem tulerunt, quem eodem fere tempore, quo Maximus imperatorum inde a Clodio Albino usque ad Maximum et Balbinum vitas composuisse notum est. Neque dubitant viri docti, qui de eo egerunt, quin Suetonium aemulatus sit. Tamen nonnulla a

---

1) ***Mueller,*** l. l. p. 25, p. 121—124.

2) ***Daendliker*** ap. Büdinger l. l. p. 706 sqq.; ***Carol. Ruebel,*** 'de font. quatt. prior H^ae^ A^ae^ script. diss. Bonn. a. 1872, p. 8, 11, 12—18, 22—24, 26—28, 30—32, 37, 40, 44, 48, 53, 57—60, 62 sqq.; ***Dreinhoefer,*** de font. et auctor. vit. quae feruntur Spart. Capitol. Gallic. Lampr. Halis Sax. 1875, p. 8—10. ***J. Plew,*** 'M. Maximus als direkte und indirekte Quelle der script. H^ae^ A^ae^. Strassburg 1878, p. 9—12.

3) ***Teuffel,*** § 377, 7. ***Daendliker,*** l. l. 306—314. ***Schaefer-Nissen,*** II, § 73, 5. ***J. Müller,*** l. l. p. 92 sq. A. 3.

Hadrianus	Pius	Marcus	Commodus	Pertinax	Iulianus	Severus	Carac.	Heliogab.
origo familia c. I, 1. 2.	I.	I.	I, 1—4.	I, 1. 2.	I, 1—3.	I, 1—3.	I, 1—2.	—
pueritia res ante imperium c. I, 3—IV, 7.	II—IV.	II—V.	I, 5—7.	I, 2—IV, 4.	I, 3—4.	I, 4—5.	I,3—II,3.	—
—	—	—	I, 3. 4 *omina*	—	—	I, 6—10.	—	—
mors c. XXV.	XII, 4—8.	XXVIII.	XVI.	XVIII.	VIII.	XIX,1—2.	VI, 6—VII, 2.	XVII.
descriptio personae c. XXVI, 1—4.	XIII, 1—2.	—	XVII, 3.	XII. XIII.	IX, 1—2.	XIX,7—8.	IX, 3.	—
opera publica c. XXVI, 5.	VIII, 2—4.	—	XVII, 5—10.	—	—	XIX, 9.	IX, 4—X.	XVII, 8. 9.
signa mortis c. XXVI, 6—10.	—	—	XVI.	XIV, 5.	—	XXII.	—	—
honores post mortem c. XXVII.	XIII, 3—4.	XXIX.	XVII, 11. 12.	XIV, 6—XV, 5.	IX, 3.	XIX, 3—6.	—	XVIII, 1—3.
—	—	—	*acta senatus* XVIII—XX.	XV, 8.	—	—	—	—
—	—	—	c. XII *descript. temporum.*	XV, 6.	IX, 3.	—	IX, I.	—

Cordo in rerum distributione commutata sunt. Primus enim hic erat[1]), qui non solum de imperatoribus veris, sed etiam de Caesaribus et usurpatoribus singulis vitis exposuit, cuius moris inventorem illum fuisse verisimile est[2]).

Praeterea ex fragmentis quae exhibentur in sequentium scriptorum operibus apparet Cordum haud paucas species a nullo priorum adhibitas invenisse itaque scripta eius rerum copia a ceteris valde recessisse. Nugis enim rumoribusque proferendis prae ceteris operam insignem navabat atque idem et epistulas et orationes permultas narrationi suae intexebat.

Quomodo autem materiam disposuerit Cordus, accuratius disquiri non potest. Sat igitur sint quae protulimus.

Iam vero ad Spartianum Capitolinum Lampridium Gallicanum Pollionem Vopiscum sermo procedit. Et primum quidem nonnullas in universum afferre adnotationes liceat. Nuper enim et in Musei Rhenani t. XLV et in Hermae t. XXIV a diversis viris doctis de his diligentissime disputatum est: Dessau Th. Mommsen Klebs denuo in quaestionem vocarunt, quibus tandem auctoribus singulae vitae quibus nomina illa inhaerent attribuendae sint. Inter quos ultimus tantum Klebs[3]) de dispositione et compositione breviter sententiam dixit, quam quidem nullo modo comprobare possumus. Scripsit enim p. 439: „Ebensowenig kann die Reihenfolge der Nachrichten Bedenken erregen. Einer wirklichen Ordnung des Stoffes, wie sie Sueton hat, ermangeln alle diese Biographieen" et p. 441; „Angaben über die 'signa mortis', über die Persönlichkeit stehen in dieser Reihe . . stets nach dem Todesbericht". Utrique sententiae repugnandum est. Nam cum apud Suetonium ipsum in vita Neronis etc. eundem ordinem rerum invenimus, eum scilicet ut primum de morte, deinde de signis mortis de moribus etc. agatur, tum ab omnibus, qui adhuc de scriptoribus illis exposuerunt, probatum est[4]) hasce vitas per species Suetonianas esse ordinatas. Quod etiam huius commentationis decursu perspicuum fieri opinamur[5]).

---

1) Cfr. Max. et Balb. c. IV. Gord. XVII, 21. Max. 27, 29, 31. Macr. I. etc. etc.

2) *Plew,* l. l. p. 11; *Rübel,* l. l. p. 9, 10, 19, 26, 38—40, 45 sq., 50—52, 53—55, 61; *Brocks,* de quattuor prior. histor. Aug. script. Regimonti Pr. 1869, p. 10 sqq.

3) Mus. Rhen. t. XLV, p. 436-464: „Die Sammlung der script. H^ae^ A^ae^."

4) Cfr. *Ruebel,* l. l. p. 62 sq. *Dirksen,* die script. H^ae^ A^ae^. Lpzg. 1842. „Andeutungen zur Textes-Kritik und Auslegung derselben" p. 38, 47 sqq.; p. 58 sqq. etc.

5) Tamen negandum non est multis locis rationem Suetonii a

3.

Sed ad ipsum Aelium Spartianum [1]) aggrediamur. Ut ex tabula infra (p. 63) prolata apparet, viri docti valde inter se differunt de vitis huic scriptori adscribendis neque consentiunt nisi de Hadriano [2]), Helio, Pio, Iuliano, Sept. Severo, Nigri. Praeterea ab aliis alii Spartiano addicuntur imperatores.

Nostrum erit et comprobare Aelium Spartianum imitatorem esse Suetonii Maximique et examinare, quatenus vitae ei adiectae in dispositione inter se conveniant. Itaque omnium harum vitarum schemata adumbravimus et in unam tabulam infra (p. 52 sq.) prolatam contulimus.

Quae commentario vix eget. Nam ipse hic index clamat et imitatione expressum esse Suetonium et dispositiones fere omnino easdem esse, quatenus concessit materiae diversitas.

Ac primum quidem hic quoque vita acta ante imperium a principis gestis secernitur. Quarum partium utraque divisa est in vitam publicam et privatam. Deinde fere eaedem in omnibus repetuntur species eodem modo ordinatae; nam morte enarrata de moribus aetate etc. agitur (cfr. supra p. 48 sqq.). Quin etiam tanta est similitudo, ut in Marci Antonini vita c. XXVII, mors iterum narretur, ne ordo partium disturbari videatur; nec hoc satis; sed etiam in ea parte, qua de rebus post fratris mortem gestis exponitur, eaedem denuo species tractantur (cfr. c. VII, 3—XV cum c. XIX—XXVII; c. XV—XVII cum c. XXVIII sq. etc.).

---

script. H^ae^ A^ae^ commutatam et oblitteratam, novas species inventas esse. Iam supra (p. 65, 66) commemoravimus etiam de Caesaribus et usurpatoribus ab illis esse expositum (*Dessau*, l. l. Hermes t. XXIV, p. 378); deinde de usu

epistularum: Avid. Caes. I, 6; V, 4; IX, 5; X; XI; Niger III, 9. Albin. II, 2; IV, 6; X, 6. 9; XII, 5; XIV, 3 etc.

orationum: A. Pius XI, 3; Avid. Caes. XII, 1; Clod. Alb. III, 2; XIII, 4 etc.

versuum: Hadr. XVI, 3; XXV, 9. Diad. VII, 3 etc.

actorum senatus: Sever. XVIII, 7. Diad. I, 4 sq. etc.

operum, aedificiorum, picturarum: Hadr. III, 5; XII, 2; XIX, 11. Helius VII, 2. Ant. Pius I, 8; VIII, 2. M. Ant. II, 5; XVIII, 6. Commod. XI, 12. Sever. XXI, 12.

admonendum est. De ordine autem ipsarum partium commutato infra exponemus.

1) Editione usus sum script. H^ae^ A^ae^ *Herm. Peter*, apud Teubn. Lips. Praeterea imprimis *Jordan-Eyssenhardt* inspexi. *Teuffel*, § 388, 5.

2) Praeter viros in tabula prolatos de huius imperatoris vita eandem sententiam comprobant: Herm. *Jaenicke*, de vitae Hadriani script. Halis 1875. diss. p. 11 sqq. Aemil. *Perino*, de fontib. vitar. Hadr. et Sept. Sev. imperat. ab Ael. Spartiano conscriptarum. Friburg. Bris. 1880 p. 1 sqq.

Hadrianus	Helius	Pius	Marc.	Anton.
—	—	—	—	—
I. c. *I—V.* vita ante princ.	(*c.I—II,6.*)	*c. I—V.*	*I—VII, 3.*	--
privata { *c. I. origo familia eruditio.*	*c. II, 6—III.*	*I, 1—II.*	*I—IV, 3.*	—
privata { *II. adoptio omina imp.*	*III. IV.*	—	—	—
publica c. III. IV. magistratus.	—	*II, 10—IV.*	*IV, 3—VII, 3.*	--
II. princeps *V—extr.*	—	(*IV. adoptio*) *V—extr.*	*VII, 3—extr.*	*VII, 3—extr.*
A. vita publica *V—XX.*	—	*V—XI.*	*ante fr. mort. VII, 3—XV.*	*post fr. m. XIX—XXVIII.*
c. V. VI. prima acta.	—	*V.*	*VI. VII, 1. 2.*	—
c. VII—X. urbis administratio in pace et bello.	—	*VI—XI.*	*VII, 3—XV.*	*XIX—XXVII.*
c. X—XV. iter per regnum.	—	—	—	—
c. XV. sqq. usus hominum.	—	—	—	—
c. XVIII. iurisdictio.	—	—	—	—
c. XIX. magistrat. Italiae.	—	—	—	—
B. vita privata *XX—extr.*	*c. V.*	*c. XI—extr.*	*c. XV—XVIII.*	*XXVIII. XXIX.*
c. XX. mores.	—	*c. XI.*	*XV—XVIII.*	—
c. XXI. sq. in admin. urb.	—	—	—	—
c. XXIII. sq. successoris sollicitudo.	—	—	—	—
c. XXV. mors.	*c. VI.*	*XII.*	*XVIII.*	*XXVIII.*
c. XXVI. aetas.	—	—	—	—
c. XXVI. corpus,	—	*XIII, 1. 2.*	—	—
modus vivendi.	—	—	—	*XXIX.*
signa mortis.	—	—	—	—
{ *XXVII. honores post mortem, iudicia.*	*c. VII.*	*XIII, 3. 4.*	—	*XXIX.*
additamenta.	—	—	—	—

Verus	Pertinax	Iulian.	Sever.	Niger	Albin.	Carac.	Geta
praef. I, 1. 2.	—	—	—	—	*c. I—IV.*	—	*c. I. II.*
I, 3—III.	*I—IV, 5.*	*I—II, 4.*	*I—V.*	*I.*	*IV–VII.*	*I—II, 4.*	*III.*
I, 3—II.	*I, 1—5.*	*I, 1—4.*	*I, 1—6.*	*I, 3—5.*	*c. IV. V.*	*I—II, 4.*	*c. III.*
c. II.	—	—	*I, 6–II.*	—	—	—	—
III.	*I, 5—III.*	*I, 4—II, 4.*	*II—V.*	—	*VI.*	—	—
c. IV— extr.	*IV, 5— extr.*	*II, 4— extr.*	*V—extr.*	*II–extr.*	*VII extr.*	*II, 4— extr.*	—
IV, 4—IX, 7.	*IV, 5—X.*	*c. III— VIII, 8.*	*V—XIX.*	*II—V, 8.*	*VII—IX, 3.*	*II, 4—VI, 6.*	—
—	*IV, 5—IX.*	*III. IV.*	*V–VIII, 6.*	—	*VII.*	*II, 4—IV.*	—
IV, 4— IX, 7.	*IX.*	*V—VIII, 8.*	*VIII, 6— XIX.*	*II—V, 8.*	—	*V—VI, 6.*	—
—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—
—	*(X—XII insidiae).*	—	—	—	—	—	—
IX, 7— extr.	*XII—extr.*	*c. VIII, 8 — extr.*	*c. XIX— extr.*	*V, 8—extr.*	*IX, 3— extr.*	*VI, 6— extr.*	—
X.	*XII sqq.*	—	—	*VI, 5— extr.*	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	—	—
IX, 7.	*XIV, 1—6.*	*VIII, 8 – IX.*	*XIX, 1–5.*	*V, 8.*	*IX, 3 sqq.*	*VI, 6— VII, 3.*	*c. III.*
XI, 1.	—	*c. IX.*	—	—	—	*IX, 1. 2.*	—
X, 6.	*XII.*	—	—	*VI, 5— VII, 2.*	*X. XIII, 1. 2.*	*IX, 3.*	*IV sq.*
—	—	—	*XIX, 7.*				
—	—	—	*XXII.*	—	—	—	—
XI.	*XIV, 6— XV, 6.*	*IX, 3.*	*XXIV.*	—	*X—XIII.*	*IX.*	—
XI, 2 sqq.	*XV, 6— XV, 8.*	—	—	—	—	*X. XI.*	—

Nihil autem refert, utrum nonnullae res repetantur (cfr. ex. gr. Hadr. vitae c. IV—XXV) an alio modo iterum narrentur. Nam eiusmodi vitia etiam apud Suetonium invenimus.

Concluditur et Spartianum Suetonii imitatorem esse et vitas hoc loco prolatas summas inter se praebere similitudines [1]).

4.

Iulius Capitolinus [2]).

Non minus in Capitolino quam in Spartiano viri docti de vitis dissentiunt, quae ei adscribendae sint (cfr. p. 63). Unanimi autem variis ex causis attribuunt Capitolino vitas Maximinorum Gordianorum Maximi et Balbini. Praeter quas aliae ab aliis eius esse dicuntur. Nos eandem atque in proximo scriptore viam ingrediamur.

Capitolinus ipse suum plane aperit consilium [3]). In Maximinis (c. I, § 1—4) dicit se complures imperatores uno volumine complexurum esse; porro in Gordianis primi c. III, § 1 verba facit haec: *sed priusquam de imperio eius loquar, dicam pauca de moribus* — eademque in Maxim. et Balb. c. IV, § 5 repetit; tum eodem loco addit: *non eo modo quo Iun. Cordus est persecutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus ... historiam perscripsit.*

Quibus ex sententiis elucet etiam Capitolinum Suetonium consulto sectatum; id ipsum vero etiam ex dispositionibus in tabula proxima p. 55 allatis facile ab omnibus intellegetur qui eam consulere velint [4]). Neque dubitandum esse opinamur, quin compositio in vitis additis eadem sit — illa scilicet, quam ipse locis latis illustravit. In omnibus enim descriptionibus narrationis seriem ita instruxit, ut duae partes principales, quae sunt vita ante et post principatum initum, constituantur, quarum altera primum de vita privata sive de moribus, deinde de vita publica et de morte agitur. Praeterea omnibus in fine additamenta quaedam inserta sunt. Eaedem autem species fere semper repetuntur.

Quarum autem vitarum ex nostra opinione auctor sit Capitolinus infra exponetur (p. 62 sqq.).

---

1) *Ruebel,* l. I. p. 49, 61; *Dirksen,* l. l. p. 131; *Brocks,* p. 21—32; cfr. Carac. c. VIII. Pescenn. Niger c. I, IX.

2) *Teuffel,* § 397, 5.

3) Cfr. praeter locos allatos Gord. XVII, XXI. Max. XXVII, XXVIII, XXIX, XXXI. Max. et Balb. VI.

4) *Ruebel,* l. l. p. 2 sqq., 11, 12, 21, 24, 61. *Brocks,* l. l. p. 1—21, p. 24.

Maximin. senior	iunior	Gordian I.	II.	III.	Maxim. et Balbinus		Commodus[1])
c. I, 1—4 *praefatio.*[2])	—	c. I. *praef.*[2])	—	—	I—IV, 5.[2])		—
I. c. I, 4—VIII ante princ.	—	c. II.	c. XVII.	c. XXII. XXX.	c. V.	c. VII.	I—II, 6.
c. I, 4—II. *origo familia eruditio.*	c. XXVII.	c. II.	c. XVII.	—	c. V.	c. VII.	I.
II. sq. *pueritia.* IV. V. *sub Caracallo etc.*	XXVIII.	—	—	—	c. V.	—	I.
VI—VIII. *magistratus.*	—	—	—	—	c. VI.	—	I, 10—II, 6.
II. c. VIII—XXV. princeps.	XXVII sqq.	c. III—XVII.	c XVIII—XXX.	c. XXX sqq.	c. VI sq.	c. VII.	II. 6—extr.
A. c. VIII—X. v. privata.	XXVII.	III—VII.	XVIII—XXI.	XXX—XXXII.	VI sq.	VII.	II, 6—XIII, 5.
VIII—IX. *corpus mores modus vivendi.*	XXVII.	III—VII.	XVIII—XXI.	XXXI, 4 sq.	c. VI.	c. VII.	II, 6—XIII. 5.
B. c. X—XXIV. v. publica.	c. XXIX.	VII—extr.	—	XXXI—extr.	—	c VIII.	XIII, 5—XVII.
—	XXX sq. *omina.*	—	—	—	—	—	—
c. X—XI, 7. *insidiae.*	—	—	—	—	—	—	—
c. XI, 7—XIII, 3. *bella.*	—	—	—	—	—	VIII—XIII.	XIII, 5—XIV.
—	—	—	—	—	—	*in pace* XIII sq. . .	XIV sq
c. XIII, 3—XXIV. *seditiones.*	—	XV sq.	—	—	—	—	(XVI *prodigia*)
c. XXIV sq. *mors.*	XXXI.	XVI.	(c. XV.)	XXX.	—	c. XIV.	c. XVII.
XXV. *additamenta.*	c. XXXII sq	c. XVI.	XXI, 3—extr.	c. XXXIV.	c. XV.	— extr.	c. XVII—extr.

1) Cfr. infra c. IV. 2) Item atque in vir. illustrib.

5.

Aelius Lampridius [1]).

Huic docti omnes vitas Diadumeni et Heliogabali adiudicarunt, cum dissentiant de Macrino Commodo Pertinace Geta Alex. Severo [2]). Dispositiones autem hae sunt:

Diadumeni.

I. c. *I—III, 4 de puero,*
c. *I—II, 6 de nomine Antoninorum,*
c. *II, 6—III. 2 novis institutis,*
c. *III, 2—4 corpore moribusque.*
II. c. *III, 4—VI omina imperii* [3]).
III. c. *VI, 1—VIII, 2 nomen Antoninorum* [4]),
c. *VIII, 2 mors,*
c. *VIII, 5 sqq. epistulae ad describendos mores.*

Heliogabali.

c. *I, 1—4 praefatio,*
c. *I, 4—III nomina—origo* — (vita ante princ.),
c. *III sq.* vita post princ. initum,
c. *III, IV prima acta,*
c. *V—XIII vitia publica,*
c. *XIII—XVII seditiones militum,*
c. *XVII mors — opera relicta,*
c. *XVIII—extr. de moribus* — (vita privata).

Macrini [5]).

c. *I praefatio,*
c. *II, 1—5 d. imperio arrepto,*
c. *II, 5—IV de nomine Antoninorum,*
c. *IV* vita ante princip.,
c. *V sqq.* princeps. — vita publica,
c. *V ipsa captura princip.,*
c. *VI, VII prima acta,*
c. *VIII—XI bella – mors.*
c. *XI sqq.* vita privata: *mores, virtutes, mors,*
c. *XV additamenta.*

Alexandri Severi.

I. c. *I—XV* vita ante principat. init.,
c. *I, II origo, familia, tituli,*
c. *III studia,*
c. *IV mores,*
c. *V—XIII nomina eius,*
c. *XIII, XIV omina imperii.*

---

1) *Teuffel,* § 397, 4.
2) Cfr. p. 63.
3) Cfr. c. III, 4. *Haec fere de puero sunt dicenda; nunc veniamus ad omina imperii.*
4) Cfr. c. VI, 1. *Haec sunt quae digna memoratu in Antonino Diadumeno esse videantur, cuius vitam iunxissem patris gestis nisi Antoninorum nomen me ad edendam puerilis specialem expositionem vitae coegisset.*
5) Cfr. infra p. 62 sqq.

II. c. *XV—extr.* princeps.
A. c. *XV—XXVIII administratio urbis*
(c. *XXVII, 5 sqq. excursus de studiis).*
B. c. *XXIX–XLV* [1]) vita privata.
C. c. *XLV Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine suo edisseram; primum tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis*
(c. *XLVI—L instituta publica — excursus),*
c. *L Cum igitur tantus ac talis imperator domi ac foris esset, iniit Parthicam expeditionem, quam tanta . . .*
c. *L—LIII instituta militaria,*
LIII sq. severitas in milites,
LV–LVIII bellum Parthicum,
LVIII res in Mauritania etc. gestae,
LIX bellum Germanicum,
LX omina mortis,
LXI sqq. mors,
LXIV sqq. additamenta.

Haud iniuria quidem Brocks l. l. p. 32—39 hoc iudicium tulit: 'materiae dispositio illa quidem etiam apud reliquos scriptores omni arte destituta, in his plane rudis atque inepta est'. Percurre dispositiones quas modo proposui; Brocksio assentieris sine dubio; ceterum ipsas species Suetonianas a Lampridio quoque adhibitas esse certe concedes. Nisi quod ordo earum paene dissolutus et perturbatus est[2]).

Propterea fieri quidem non potest, ut certam rationem in tanta rerum dissolutione indagemus. Nonnulla tamen nobis praeter illam compositionis negligentiam communia hisce vitis esse visa sunt.

Ac primum quidem passim 'de nominibus' quam latissime et uberrime auctor disputat: Macrin. II, 5—IV; Diad. I—II, 6; VI, 1—VIII, 2; Heliog. c. I, 4—III; Alex. c. I, II, V—XIII; quin etiam duobus eiusdem vitae locis res illa pertractatur: in Diadumeno et Alexandro. Deinde partes, quibus de vita privata et publica agitur, paene confusae sunt in omnibus, cfr. Diad. II, 6—III, 4; Heliog. c. V—XIII; XVIII sqq; Alex. Sev. c. IV; XV—XXVIII, XXIX—XLV, LIII sqq., LXIV sqq. etc. Tum omnibus asserta sunt in fine additamenta de moribus: Macrin. c. XV; Diad. c. VIII, 5 sqq.; Heliog. c. XVIII sqq.; Alex. c. LXIV sqq.

Haec habui, quae ad probandam vitarum illarum cog-

1) Cfr. XXIX. *Antequam de bellis eius et expeditionibus et victoriis loquar, de vita cotidiana et domestica pauca disseram.*
2) Cfr. Macrin. c. I.

nationem et ad compositionem Lampridianam illustrandam proferrem[1]).

6.

Vulcatius Gallicanus[2]).

Huius una tantum vita aetatem tulit. In qua Gallicanus ipse de dispositione rationem reddit, Avid. Cass. c. III, 1: *Sed nos hominis naturam et mores breviter explicabimus; neque enim plura de his sciri possunt, quorum vitam inlustrare nullus audet eorum causa, a quibus oppressi fuerint. Addemus autem, quemadmodum ad imperium venerit et quemadmodum sit occisus et ubi victus. Proposui enim, Diocletiane Auguste, omnes qui imperatorum nomen sive iusta ex causa sive iniusta habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Augustus cognosceres.*

Argumenti dispositio haec est.

Avidius Cassius:

I. c. I—III vita ante princip. init.,
c. *I, 1—5 origo familia,*
c. *I, 5—III insidiae ab eo imperatoribus paratae; iudicia Veri et Marci.*
II. c. III—extr. de principe.
A. c. III—VII vita privata: *mores.*
B. c. VII vita publica — *quomodo ad imperium venerit,*
c. *VII, 8, 9 mors,*
c. *VIII sqq. additamenta.*

Narrationis igitur decursus plane idem atque in Capitolini vitis est (cfr. supra p. 55)[3]).

Atque iam denuo etiam in hoc scriptore demonstratum est eum suspensum esse ex Suetonio.

7.

Trebellius Pollio[4]).

Huic vitas inde a Gallienis usque ad Aurelianum attribuendas esse inter omnes constat. Ad eius artem[5]) illustrandam

1) *Ruebel*, l. l. p. 61.
2) *Teuffel*, § 388, 6. *Hudemann*, philolog. VII, 585—88; IX, 189 sqq. *Richter*, Mus. Rhen. VII, p. 30.
3) *Brocks*, l. l. p. 40—45. *Ruebel*, l. l. p. 29.
4) *Teuffel*, § 388, 7.
5) Cfr. Gallien. c. XVI. trig. tyr. c. I, XI, XXXIII. Claud. c. VIII, XI, XIII. Aurel. II.

eligimus vitam Claudii imperatoris eiusque narrationis progressum explicamus:

I. c. I—IV praefatio,
   c. *IV senatus consultum.*
II. c. V sqq. princeps.
A. c. V—XII vita publica.
   c. *V de Aureolo depulso,*
   c. *VI—XIII bello Gothico (c. X omina, c. XII mors).*
B. c. XIII[1]) sqq. vita privata.
   c. *XIII, 1—5 genus familia.*
   XIII, 5—XIV mores — de corpore, vivendi modo etc.

Etiam ex hoc schemate quid consequatur in promptu est. Quid multa? Trebellius Pollio Suetonianam partitionem observavit; at vero alia saltem serie partes composuit, ita ut primum res publicas et mortem proponeret, deinde ad genus originem mores describenda transiret, in fine autem iudicia sive principum sive senatus aliorumque adderet. Maximas autem cum Spartiano similitudines praebet. Haec de Claudio Pollionis; nam ceterae eius vitae partim tam breves partim tam depravatae sunt, ut dispositionem distinctam vix prae se ferant[2]).

Restat ut de ultimo huius agminis scriptore paucis disseram ad comprobandam imitationem Suetonii.

8.

Flavius Vopiscus[3]).

Huius esse feruntur vitae inde ab Aureliano usque ad Numerianum; ipse vero nonnullis locis de ordine, quo progressus esset, copiosius verba fecit. Imprimis inspiciatur:

Aurel. c. I, II; etiam XXII, 4 legitur *multa eius magna et praeclara tam facta quam dicta sunt, sed omnia libro innectere nec possumus fastidii evitatione nec volumus, sed ad intellegendos mores atque virtutem pauca libanda sunt.* Adde Prob. c. I, II, cfr. c. II, 7. *Et mihi quidem id animi fuit, ut non Sallustios Livios Tacitos Trogos atque omnes disertissi-*

---

1) § 1. *Quoniam res bellicas diximus, de Claudii genere et familia saltim pauca dicenda sunt.*

2) Liber tyrannorum virorum illustrium nos admonet Suetonianorum.

3) *Teuffel,* § 397, 2. — Ex bibliotheca regia universitatis nostrae Philippinae commentationem Brunnerianam in secundo tomo disquisitionum Buedingerian. (a. 1868) editam adipisci non possumus. *Richter,* l. l. 17—20. *H. Peter,* Hist. critic. script. H^ae^ A^ae^ p. 10—13.

mos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis, sed Marium Maximum Suetonium Tranquillum Fabium Marcellinum etc. Firmus c. I, II: *Minusculos tyrannos scio plerosque tacuisse et breviter praeterisse.*

Quibus ex sententiis haec de ratione Vopisci eruere nobis licet. Spartianum aliosque in eo secutus est ut etiam de „minusculis tyrannis scriberet“ (Firm. I, II); ceterum Suetonium Tranquillum imprimis imitari conatus est (Prob. II, 7), operam autem dedit rebus quam brevissime perscribendis (Aurelian. XXII, 4).

Quemadmodum autem consilio suo obtemperaverit, ex dispositionum imagine infra adumbrata optime perspici poterit. Atque primum quidem maiores vitas, Aureliani scilicet et Probi conferamus, deinde minorum nonnullas, ut clarum fiat Vopiscum certissimam viam sibi praescripsisse in componendis vitis singulis.

Aurelianus	Probus
I. c. *I, II, praefatio*	c. *I, II.*
II. c. *III—XVIII,* vita ante princ. init.	c. *III—X.*
A. c. *III—VI,* vita privata	c. *III.*
origo familia	—
studia corporis	—
corpus mores etc.	—
B. c. *VI—XVIII,* vita publica	c. *IV—X.*
(sive res a privato gestae)	
c. *VI sq., res bellicae*	c. *IV sq.*
c. *VIII sqq., iudicia*	c. *IV sqq.*
c. *XII sqq., honores*	*etc.*
III. c. *XVIII—extr.,* de principe	c. *X—extr.*
A. vita publica: c. *XVIII—XXXII, 4*	c. *X—XX.*
a) *res in bello (c. XVIII—XXXII, 4)*	c. *X—XIX.*
b) *res in pace gestae (c. XXI sq.)*	c. *XIX.*
B. vita privata: c. *XXXII, 4—XXXVII*	c. *XX.*
de morte c. *XXXV—XXXVII*	c. *XX sq.*
additamenta c. *XXXVII sqq.*	c. *XXII sqq.*

Firmus	Saturninus	Proculus	Bonosus
	Praefatio c.	*I, II.*	
c. III, { *origo* / *familia*	*c. VII, 1.*	*XII, 1–XII, 5.*	*XIV, 1, 2.*
c. IV. { *mores* / *corpus*	—	*XII, 5—XIII.*	*XIV, 3 sqq.*
vivendi modus		*XIII, 1—4 res gestae.*	*XV, 1.*
c. V, seditiones	*c. VII, 2—XI.*	—	—
c. V, mors	*c. XI, 1—4.*	*c. XIII, 4.*	*c. XV, 2.*
c. VI, additamenta	*c. XI, 4 sqq. Longum est frivola quaeque conectere, odiosum dicere, quali statura.*	*XIII, 5. de posteris.*	*XV, 3 sqq. de posteris.*

Haec sufficient ad propositum. Nempe in vitis maioribus [1]) materia ita bipertita est, ut praefatione praemissa primum de rebus ante principatum gestis agatur, deinde de principe. Utraque autem pars rursus hoc modo divisa est: 1° vita privata, 2° vita publica ante principatum initum, 3° vita publica, 4° vita privata post principatum initum — ita ut chiasmum quasi partium adhibitum videamus. Est igitur certa ratione ordo Suetonianus commutatus; nihilominus imitatio ipsa maxima perspicuitate apparet. Omnes autem vitae maiores praefatione sunt instructae [2]).

In numero minorum vitarum habendi sunt et Firmus, Saturninus, Proculus, Bonosus et Carus, Carinus, Numerianus. Quae licet exiguae sint, tamen ipsae quoque certum consilium ostendunt. Ego autem earum lectione statim admonitus sum de grammaticis et rhetoribus Suetonianis. Nam cum duae vitarum portiones sint, ineunti utrique portioni praefationes ad sequentes vitas pertinentes insertae sunt (cfr. Firmus c. I, II; Carus c. I—IV), quarum illa quidem de „minusculorum tyrannorum“ descriptione in universum exponit, haec de varietate magistratuum principum Romanorum sermocinatur. Eandem rationem prooemia praemittendi etiam a Nepote adhibitam esse invenimus (cfr. p. 14 sqq.). Deinde vero vitas ipsas quoque eodem fere atque apud Suetonium modo conformatas video (cfr. p. 42 sqq.).

1) Huc Tacitus pertinet.

2) Inter omnes H^ae^ A^ae^ scriptores Vopiscus imprimis epistolis orationibus etc. usus est.

9.

De vitarum scriptoribus.

De Spartiano, Capitolino, Lampridio, Gallicano, Trebellio Pollione, Vopisco, Historiae Augustae scriptoribus, quorum scribendi artem pertractavimus, alia nobis relicta est quaestio. Dubium enim est, quae tandem vitae a quibus auctoribus conscriptae sint. Namque nomina in libris manuscriptis praescripta magnam partem fide indigna esse inter omnes, qui hanc in rem diligentius inquisiverunt [1]), consentaneum est. Quatenus autem coniecturis lubricae traditioni succurrere liceat, inter viros doctos adhuc non convenit alio aliam auctorum tabulam proponente.

Quo planius lector sententiarum diversitatem sibi ante oculos proponere possit, omnes quae factae sunt suppositiones in hanc quae sequitur p. 63 tabulam congessi. Sunt quae et ad tabulam explicandam et ad nostram opinionem fulciendam atque affirmandam fusius disserere oporteat. Neque hoc loco commentationum proxime de hac re in Musei Rhenan. t. XLV [2]) et Hermae t. XXIV [3]) et XXV [4]) editarum mentionem facere omittimus [5]).

Ac primum quidem ad tabulam illustrandam accedamus, in qua proponenda Richteri sententiam (i. Mus. Rhen. t. VII, 31 sqq.) propterea nimirum neglexi quia nihil lucri nobis praebere visa est. Dirksen autem id tantum egit, ut qui essent auctores ex ipsorum verbis erueret.

Brocks deinde rem ita disceptare posse sibi visus est, ut in singulas quasque voces animum intenderet et usum verborum ac sententiarum accuratius perquireret. Postea Plew multa scriptorum vestigia per libros eorum expressa diligentius persecutus aliam divisionem proposuit eam, quam Dreinhoefer altius firmare conatus est. Ruebel autem e medio tolli dubitationes posse ita putavit, ut quemadmodum fontes in vitis diversis compilati viderentur exsequeretur. Summum igitur pondus excerptis qui vocantur locis addidit. Nuperrime denique quaestionem hanc resuscitavit Henricus Dessau (l. l.) atque

---

1) *H. Peter* (l. l. p. 5, 6) excepto, qui in codicum auctoritate nobis adquiescendum esse putat.

2) *El. Klebs,* Die Sammlung der script. H^ae^ A^ae^ p. 436—464; eiusdem in Sybelii Hist. Ztschrft. XXV. N. F. p. 218 sqq.

3) *H. Dessau,* Ueber Zeit und Persönlichkeit der script. H^ae^ A^ae^ p. 237 sqq.

4) *Theod. Mommsen,* Die script. H^ae^ A^ae^, p. 228—292.

5) *Teuffel,* §§ 377, 388, 397.

Scriptores	Dirksen: l. l. p. 8. sqq.	Brocks: p. 42.	Plew [1]) (p. 13), Dreinhoefer p. 37 sqq.	Ruebel p. 60 sqq.	Consentiunt inter se de vitis	Nostra sententia
Spartianus	Severus, Pescenn. Niger, Clod. Albinus.	Hadrianus, Helius, Pius, Marcus, Verus, Did. Julianus, Severus, Niger, Caracalla.	inde ab Hadriano usque ad Getam (excepto Avid. Cassio).	Hadrianus, Helius, Pius, Julianus, Severus, Niger, Albinus.	Hadriani, Helii, Pii, Juliani, Severi, Nigri.	Hadrianus usque ad Getam (exc. Avid. Cassio et [Commodo]).
Capitolinus	—	Clod. Albinus, Macrinus, Alexander, Maximini, Gordiani, Max. et Balb.	a Maximinis usque ad Max. et Balb.	Marcus, Verus, Commodus, Pertinax, Caracalla, Geta, Maximini, Gordiani, Maxim. et Balb.	Maximinorum, Gordianorum, Max. et Balb.	[Commodus] Maximini, Gordiani, Max. et Balb.
Lampridius	Macrinus, Diadumenus, Elagabal.	Commodus, Pertinax, Geta, Diadumenus, Elagabal.	a Macrino usque ad Alex. Severum.	Macrinus, Diadumenus, Elagabal.	Diadumeni Elagabali.	Macrinus, Diadumenus, Elagabal., Alex. Severus.
Gallicanus	Avidius Cassius.					
Pollio	inde a Valerianis usque ad Aurelianum.					
Vopiscus	inde ab Aureliano usque ad Numerianum.					

1) *J. Plew*, de diversitate auctorum H^ae^ A^ae^ Regim. 1869.

nodum sic solvi posse existumavit, ut vitas illas omnes ab uno auctore exeunte quarto saeculo conditas esse statueret. Huius mox acerrime refutarunt sententiam Mommsen (l. l.) et Klebs (l. l.), quorum uterque numerum traditum scriptorum conservandum esse merito ac bonis causis comprobarunt. Atque ille quidem sustinuit vitas hasce semel atque iterum recensitas, commutatas atque additamentis instructas esse, hic contra sententiam suam hisce fere verbis exprimit: „Unsere Sammlung ist demnach durchaus ein Erzeugnis der diocletianisch-konstantinischen Zeit; sie stellt sich dar als eine rein äusserliche Zusammenfügung verschiedener Arbeiten, bei der für uns Spuren einer einheitlichen Redaction nicht erkennbar sind. Manches Rätsel, das soeben gelöst erschien, bleibt als Rätsel bestehen; einzelnes, wie die Entstehung der Verwirrung in den Schriftstellernamen, wird sich nie aufklären lassen (l. l. p. 464)." Has varias doctorum sententias qui percensuerit, alios aliis ex causis in taxandis auctoribus profectos esse videbit neque quemquam ex sola arte scribendi sive ex operum dispositione et ordine.

Nos, ut iam p. 47 dictum est, dum imitationes Suetonianas venamur, simul id egimus, ut singularum vitarum quae sint similitudines compositionis accurate demonstraremus. Quibus aliquam certe argumenti vim qualemcumque inesse persuasum habemus, quamquam nullo modo contendimus tutissimam esse hanc viam aut adeo unice veram ad auctores distribuendos, assentimurque in universum Klebsio dubitanti, num omnino certi quidquam de hac quaestione statui possit, cum plane nihil sit, quod ad eam diiudicandam cum summa confidentia et evidentia adhibeas. Nihilosetius in proposito persistere haudquaquam dubitavimus edidimusque, quod invenimus in publicum, ut iudicent peritiores.

In distributione auctorum, de qua vide tabulae columnam postremam, maxima ex parte cum Plewio et Dreinhoefero congruimus, excepto tantum Commodi auctore, quem Capitolini esse ex materiae dispositione suspicati sumus. Haec distributio primum quidem mimirum argumentationibus illorum virorum fulcitur, quos laudavi. Sed aliis etiam causis haud paucis confirmatur. Negari enim, ut nobis quidem videtur, non poterit hunc scriptorum ordinem ipsa rerum natura veri multo similiorem esse quam ceteras divisiones fere omnes. Compilator, qui postea omnes vitas in corpus congessit, primum Spartianum ducem secutus est, deinde Capitolini, tum Lampridii, Pollionis, Vopisci vitas exscripsit. Neque ab hac via digressus est nisi in vitis Avidii Cassii, quam Gallicano et Commodi,

quam Capitolino debet. Praeterea nostra dissertatione comprobatum est unumquemque scriptorum, licet Suetonium omnes imitati sint, tamen stabilem sibi atque propriam rationem in partibus adhibendis conformasse, qua paucis tantum iisque minoris momenti commutationibus exceptis, semper usi sunt, ita ut rerum ordinem pro auctoris indicio accipi et ponderari oportere iam nemo possit negare. Praeterea etiam species certae et compositionis proprietates a singulis scriptoribus peculiares excultae sunt. Et haec quidem hactenus.

De Spartiano Capitolino Lampridio Gallicano Pollione Vopisco spero iam aliquanto imminutam esse diffidentiam doctorum; in medio autem relinquo, utrum Commodi vita Spartiano an Capitolino adscribenda sit; huic tamen libentius adscripsimus.

10.

Sed ne nunc quidem pedem subsistere volumus. Nam neque cessavit infima aetate Suetonii artificiorum imitatio neque ipsam eius imitationis demonstrationem hoc loco cessare fas erit. At vero id non voluimus ut omnes omnino hoc loco proponeremus qui vestigia Suetonii presserunt; nonnulli per electionem introducantur. Ac primum quidem pauca de Sext. Aurelio Victore[1]) eiusque epitomatore afferamus, qui anno 360 p. C. n. 'de Caesaribus' librum composuit. Prior huius opusculi pars nihil nisi excerpta Suetoniana continet[2]), altera ab ipso Victore composita perspicue imitationem prae se fert. Exempli gratia dispositionem praepono

Diocletiani:

§ 1, *de creatione,*
§ 2—9, *de moribus,*
§ 9—14, *de fine Cari eiusque liberorum,*
§ 14, 15, *primis institutis,*
§ 16—44, *rebus in bello,*
§ 44—47, *in pace gestis,*
§ 47, *de cura reipublicae abiecta.*

Ex hoc opere postea epitome exscripta est sub titulo[3]): 'de vita et moribus imperatorum Romanorum excerpta ex libris Sex. Aurel. Victoris a Caesare Augusto usque ad Theo-

1) *Teuffel*, § 414; *Hermes*, V, 150—154.
2) Quae de grammaticis et rhetoribus Suetonii nos admonent.
3) Ex quo iam „specierum“ usus elucet; nempe tractantur vita et mores.

dosium imp.', cuius ultima pars suppletoria (a cap. 43 ad 48) ab epitomatore ipso condita est. Ut etiam hunc Tranquilli sectatorem esse eluceat disposui vitam

Theodosii:

§ 1, *genus origo,*
§ 2—5, *omina imperii,*
§ 5—8, *res in bello gestae,*
§ 8, *corpus (fuit autem Theodosius moribus et corpore Traiano similis),*
§ 9—19, *mores;* 16, 17, *liberalitas;* 18, *vita familiaris.*
§ 19, *mors,*
§ 20, *funus.*

Et adhuc quidem in historia profana nos continuimus. Sed etiam ecclesiastica volumina eius aevi evolvere interest. Digna est quae excutiatur vita S. Ambrosii episcopi ineuntis saeculi quinti a Paulino composita[1]), cuius dispositio haec est:

I, II, praefatio,
III, infantia,
IV, adolescentia eruditio,
V, magistratus,
VI—X, quomodo episcopus factus sit,
X—XXXVIII, vita publica,
XXXVIII—XLII, vita privata: *mores etc.*
XLII—XLVII, signa mortis,
XLVII, mors,
XLVIII — extr., additamenta de funere miraculis etc.

Et in his quidem simplex capitum conspectus sufficiat. Properemus gradu accelerato per saecula insequentia et litteras Latinas ipsius medii aevi ineuntis circumspiciamus. Notissimum est inter omnes prima post gentium migrationem vestigia Caesarum Suetonii perlectorum et in usum conversorum reperiri nono p. Chr. n. saeculo. Circiter enim annum 820 Einhardus Caroli Magni vitam conscripsit, Caesarum et praecipue divi Augusti studio tam strenue se tradidit, ut non modo omnem libelli descriptionem sed etiam integras haud raro sententias inde repeteret et nonnumquam, ut iam Casaubonus iudicavit[2]), imitandi studio suae historiae veritatem

1) Editione usus sum ab *J. G. Krabinger*, Tubingae 1857 edita: S. Ambros. episc. Mediol. de offic. minist. libr. III, cum Paulini libello de S. Ambros. vita recogn. p. 1—28, p. 227—256.
2) Comment. in vit. Aug. Suet. c. LXIV.

transgressus esse videretur. Optime mihi de hac imitatione verba fecisse videtur Leopoldus Ranke in opere, cui titulum indidit 'Kritik fränkisch-deutscher Reichsannalen' [1]). Iam vero in fine huius dissertationis eius quoque vitae dispositionem proponere liceat.

Einhardi vita Caroli Magni [2]).

Praefatio.

c. *I—IV, gens familia.*

IV, de cuius nativitate atque infantia vel etiam pueritia ... omissis incognitis, transire disposui, ita tamen, ut primo res gestas et domi et foris, deinde mores et studia eius, tum de regni administratione et fine narrando, nihil de his, quae cognitu vel digna vel necessaria sunt, praetermittam [3]).

I. c. *V—XVII,* vita publica.
  A. c. *V—XV, bella.*
  B. c. *XVI sq., res in pace gestae.*
II. c. *XVIII—extr.,* vita privata.
  c. *XVIII, ceteraque ad interiorem atque domesticam vitam pertinentia iam abhinc dicere adgrediar.*
  1. c. *XVIII—XXI, de familiae, amicorum, peregrinorum usu,*
  2. c. *XXII, de corpore,*
  3. c. *XXIII, XXIV, modo vivendi,*
  4. c. *XXV, studiis liberalibus,*
  5. c. *XXVI, religionis usu,*
  6. c. *XXVII, liberalitate,*
  7. c. *XXVIII, titulis,*
  8. c. *XXIX* [4]), *legibus et institutis,*
  9. c. *XXX, morbo et morte,*
  10. c. *XXXI, funere,*
  11. c. *XXXII, ominibus mortis,*
  12. c. *XXXIII, testamentis.*

Summa ut opinor similitudo Augusti Suetoniani unicuique legentium perspicua erit.

Einhardum autem exinde imitatus est scriptor vitae Lu-

1) Cfr. ***Wattenbach,*** Geschichtsquellen I, 5, p. 171 sqq.

2) Editione usus sum *J. L.* ***Ideleri*** a. 1839; de tempore compositionis cfr. ***Wattenbach,*** l. l. 176. ***Ideler,*** l. l. II, p. 142 sqq. ***Baehr,*** L. G. im karolingischen Zeitalter, p. 150 sqq., 189 sqq. Karlsruhe.

3) Cfr. ***Suet.*** Aug. IX.

4) Quod ad vitam publicam pertinere videtur.

dovici Pii[1]), quae anno 835 prodiit cuiusque structura fere haec est:

Thegani vita Ludovici Pii[2]).

c. *I, II, genus ortus natus,*
c. *III—VI, familia,*
c. *VI, VII, creatio,*
c. *VIII—XVIII, res gestae,*
c. *XIX, XX, de corpore, studiis liberalibus, moribus etc.*

Iam vero quod propositum nobis erat, propemodum absolvimus deponimusque calamum; fore autem speramus, ut postea alio loco ad complendum hoc et confirmandum argumentum, quod est de Suetonianae artis apud vitarum scriptores auctoritate, nonnulla neque inutilia conferamus. Cum enim ad nonum saeculum quaestionem istam deduxerimus, etiam procedente medio aevo in rerum compositione et dispositione multum valuisse illius auctoritatem facile demonstrari poterit.

1) *Ideler,* l. l. p. 33, 34.
2) *Wattenbach,* l. l. p. 197. Edita est in MG. SS. II, p. 585—604. De aliis Einhardi imitatoribus cfr. *Baehr,* l. l. § 89, 91 etc., imprimis cfr. c. XIX cum Caroli vitae c. XXV.

Vita.

Natus sum Guilelmus Ludovicus Schmidt a. d. IV. Non. Mart. a. h. s. LXVI. Nisteriae, in parvo vico Nassovorum, patre Alexandro mercatore, quem a. h. s. LXXXIII iam praematura morte mihi ereptum esse lugeo, matre Philippina e gente Pickel. Fidei addictus sum evangelicae. Primum scholae Hachenburgensi, deinde Neovidensi, postremo Coloniensi, quae dicitur 'Realgymnasium' traditus, a. h. s. LXXXV testimonio maturitatis instructus sum. Proximo anno Coloniae Agrippinae in gymnasio, quod nomen a Frederico Guilelmo rege ducit, alterum accepi maturitatis testimonium. Deinde Monachium me contuli studiis philologicis et historicis operam navaturus. Hic audivi legentes Brunn, Carriere, Christ, Frohschammer, Heigel, Loeher, Prantl, Schoell, Sittl, Woelfflin. Bonnae, quo vere a. h. s. LXXXVIII profectus sum, per tria semestria scholis interfui quas habebant Buecheler, Dove, Nissen, Ritter, Usener. Tum me excepit haec alma mater Philippina. Hic docuerunt me Birt, Cohen, Fischer, Lamprecht, Lehmann, Niese. L. Schmidt, Wissowa. Seminarii exercitationibus philologi ut interessem benigne permiserunt vv. dd. Christ, Woelfflin, Usener, Birt, L. Schmidt, historici Heigel, Dove, Nissen, Ritter, Lamprecht, Lehmann, Niese, geographici Fischer. Praeterea exercitationes philosophicas ut adirem concessit v. d. Cohen. Omnibus, qui me benevolentia et doctrina adiuvere, viris doctis gratias ago quam maximas, prae ceteris Theodoro Birt, qui cum hoc opusculum conficerem, numquam mihi defuit et praeter ceteros fautor adiutorque studiorum meorum extitit.